DE

DIONYSII THRACIS GRAMMATICAE

EPITOMA PARTIM INEDITA

QUAE EST IN CODICE VENETO MARCIANO DXXXI

SCRIPSIT

ADOLFUS HART.

BEROLINI 1871.

W. WEBER.

1873, Jan. 23.
Subscription Fund.

23

GUILELMO STUDEMUND
S.

Quod grato naturae munere hominibus concessum est, ut feliciter peracti temporis memoriam etiam post multos annos recolere nobis liceat, id, dum haec conscribo, quae nunc tibi tuaeque in me amicitiae commendari velim, me quoque expertum esse profiteor: cuius menti adeo infixa est dierum illorum quos ante hos quattuor annos in Italia tecum degi recordatio iucundissima, ut amoenae hospitalitatis, qua me in altera tua patria fovisti, tamquam ἀντίδωρον hanc qualemcumque dissertatiunculam tibi offerre non dubitaverim, cum praesertim et ipsa ex subsecivis studiis Venetis orta sit. Ac si verum est, quod ait Cicero cognationem studiorum et artium propemodum non minus esse coniunctam quam generis et nominis, ad necessitudinem nostram confirmandam vix aptius quidquam hac epitoma grammatica poterat eligi: cuius patrocinium adeo nobis est commune, ut nunc tibi non magis meum transmittere quam tuum tibi paullo expolitius si dis placet et emendatius remittere videar; tuum enim potissimum est, quod tua sollertia in codice Veneto Marciano indagatum et te adiuvante cum mea tum Rudolfi Schoellii nostri opera ex eo descriptum est.

Quodsi ea quae ex opusculo grammatico partim inedito protulero, virorum doctorum expectationi et ipsi operae quam in haec studia, dum per varias occupationes licet, impendi, parum respondere videbuntur, quibus studiis timendum sit ne a fertilibus optimorum scriptorum campis ad desertas homunculorum grammaticorum regiones devio itinere abducamur: concedendum sane erit iucundiora posse reperiri multa quaeque uberiorem praebeant fructum vilissimo hoc litterarum genere, quod super aetatis mediocritatem raro assurgat neque dignum omnino quod lectitemus videatur, nisi melioris originis tamquam evanida vestigia insint; concedendum item hanc de qua agimus epitomam eisdem vitiis et ipsam obnoxiam esse, quae magis aetati quam singulis scriptoribus attribuenda sint, et ieiune neglegenterque conscriptam ne dicendi quidem elegantia commendari, qua alii eiusdem modi libri praestant.

At quos non ipsorum causa libros legimus, eorum non paucos propter meliorum scriptorum frustula quae in eis latent eo diligentius perscrutamur, quo miseriore clade integra opera illorum hodie deperierunt. Atque quod in universum constat Graecos in variis et litterarum et artium generibus quae colerent unum vel paucos quaque arte in primis excellentes homines elegisse, quorum exempla ut perfecta quodammodo et absoluta imitarentur — velut Homerum, quotquot epici poetae extiterunt per multorum saeculorum spatium ad Nonnianam usque aetatem aemulati sunt omnes —: id quam maxime quadrat in artem grammaticam, quae cum postrema nec tamen sero in lucem prodiisset, ipsa quoque perfecta in suo genere tulit ingenia. Quorum integros libros quoniam invida sors nobis detraxit, servum imitatorum saltem pecus nobis reliquit, quorum ex horreis antiquioris doctrinae reliquiae velut disiectae membra statuae colligerentur: in quibus quantum bonae frugis lateret, ut cetera praetermittam, nuper experti sumus, cum praeclaris Augusti Lentzii studiis Herodiani merita nova quadam luce effulgescebant. Ac si non omnes possunt esse Herodiani, quorum ingenii vi in singulis artis partibus novae viae posteris ingrediendae detegantur, tamen ne minorum quidem grammaticorum scripta omnino neglegenda sunt: ex quibus Dionysii quae vocatur grammatica criticorum studiis dignissima est, quod et artis elementa breviter et accurate descripta continet adeoque recentiorum studia excitavit, ut multis modis aucta et amplificata per saecula propagata sit.

Denique ne illud quidem praetermittendum videtur, qua ratione veterum doctrina a posterioris temporis scriptoribus recepta et in aetatis usum conversa sit: nam cum antiquae litterae medio aevo interiecto nobis traditae sint et ea ipsa aetate multas et vices et iacturas subierint, singularum disciplinarum historia critica tum demum recte conscribi poterit, cum Byzantinorum hominum studia, quae etiamnunc tenebris offusa iacent, clariore luce illustrata erunt. Cuius muneris quantulamcumque partem si strenue absolvero, ne asperum quidem hoc studiorum genus me attigisse paenitebit, Quintilianei illius de ipsa arte grammatica dicti haud immemorem: n o n   o b s t a n t   h a e   d i s c i p l i n a e   p e r   i l l a s   e u n t i b u s   s e d   c i r c a   i l l a s   h a e r e n t i b u s.

Dionysii Thracis quae vocatur grammatica graeca Immanuelis Bekkeri anecdotorum graecorum volumini alteri p. 629—643 inserta, qua aetate composita sit, quo magis scire iuvat ad primordia artis grammaticae graecae recte dignoscenda, eo magis dolendum est, quod nequaquam inter viros doctos constat. Ac si grammatica ei auctori deberetur, cuius nomen prae se fert, Dionysii Thracis, quem quidem Suidas s. v.[1]) Aristarchi discipulum fuisse et Pompei Magni aetate in insula Rhodo scholas habuisse affirmat, Alexandrinae eruditionis optimaeque notae haberemus documentum, quo quidquid priorum temporum doctrina in ea arte profecisset, quasi sub unum conspectum redactum esset. At vetus est dubitatio num concisa illa doctrina quae XXV paragraphis continetur ipsi Thraci recte attribuatur. Sane iam in congerie scholiorum, quae ex variorum auctorum hypomnematis conflata grammaticam inde a pag. 647 Bekk. excipiunt, legitur p. 672[2]): Θέλουσιν οὖν τινες μὴ εἶναι γνήσιον τοῦ Θρᾳκὸς τὸ παρὸν σύγγραμμα· neque suspitio semel mota conticuit. Ac libellum, quem discentium usui inserviisse manibusque per tot saecula tritum esse constat, in arctiorem epitomam passim contractum passim invita Minerva adauctum immutatumque pristini nitoris aliquantum facile amisisse, quis est qui neget? quod tamen non ita intellegi velim quasi nativae doctrinae iam nec vola nec vestigium in eo supersit. Rectam igitur viam argumentandi iam Lerschius[3]) videtur ingressus esse, qui quantum ab ea opinione recedit, qua plane genuinum opus traditum esse creditur, tantum ab eis dissentit qui, ut Goettlingii verbis utar, totam grammaticam ,centonem ex pannis tam veterum quam recentiorum grammaticorum' Byzantina aetate compositam esse putant. Nuper Mauricius Schmidt in dissertatione de Dionysio Thrace conscripta et Philologo Gottingensi[4]) inserta singulis grammaticae capitibus accurate examinatis simulque eis quae iam ante eum a Goettlingio Schoemanno Classeno Lehrsio aliis in utramque partem disputata erant, sub examen vocatis Dionysii quam vocant grammaticam ab ipso Thrace compositam esse aut saltem

---

[1]) Διονύσιος 'Αλεξανδρεύς, Θρᾷξ δ'ἀπὸ τῆς πατρίδος Τρήρου (ita coniecit M. Schmidt Philol. VII [1852] p. 361 — codd. Suidae: ἀπὸ τοῦ πατρὸς Τήρου Τῆρος) τοὔνομα κληθείς, 'Αριστάρχου μαθητής, γραμματικός, ὃς ἐσοφίστευσεν ἐν 'Ρόδῳ (v. 'Ρώμῃ) ἐπὶ Πομπηίου τοῦ μεγάλου καὶ ἐξηγήσατο Τυραννίωνι τῷ προτέρῳ· συνέταξε δὲ πλεῖστα γραμματικά τε καὶ συνταγματικὰ καὶ ὑπομνήματα. [2]) cfr. Mauricius Schmidt Philol. VIII p. 511, Preller: Quaestiones de histor. gramm. Byzantin. adiectis ineditis Hamburgensibus Dorpat. 1840 p. 4. [3]) Sprachphilosophie II 64 ss. cf. Graefenhan geschichte der classischen philologie I 435. [4]) Vol. VII p. 360 ss. VIII p. 231 ss. 510 ss.

primo post Christum natum saeculo iam extitisse doctissime si quid video ac sagacissime ostendit[5]).

Nec sane desunt causae, quibus adductus aetatem, qua τέχνην conscriptam esse credendum sit, certioribus finibus circumscribas: ex quibus hoc loco eas potissimum eligam, quae et per se maximi momenti et cum hac commentatione arctissime sunt coniunctae.

Ac primum quidem ante Herodiani aetatem, qui altero post Christum natum saeculo vixit, talem qualis nunc est grammaticam fuisse inde haud dubie conicere licet, quod singulari prosodiae doctrina caret: in qua cum iam inde ab Aristotelis aetate, cuius in poetica p. 1456ᵇ, 30 ss. ipsa prosodiacae artis incunabula reperias, multi studia collocaverint, tamen nemo est quin primas in ea partes Herodiano deferat; is enim praeclaro quem περὶ καθολικῆς προσῳδίας composuit libro, quo universum eius disciplinae ambitum admirabili ingenii acumine doctrinaeque copia dimensus est, tantam assecutus est auctoritatem, ut omnium consensu quasi pater eius atque conditor praedicaretur. Quodsi ea grammaticae pars a Dionysii libello abest, id aut consulto Byzantini auctoris opera factum esse potest, quo antiquitatis speciem affectaret — nec tamen talium homunculorum est, earum rerum quas compertas habeant inscitiam simulare — aut fortunae iniquitati tribuendum est, qua ea libelli pars deperierit. Hoc ne statuamus, vetere Porphyrii testimonio prohibemur, quo grammaticam antiquitus non a prosodia sed ab ipsius artis definitione initium cepisse diserte docemur: quod una cum altero testimonio ab Osanno in Philemone p. 303 ss. ex codice Parisino 2603 publici iuris facto apponimus:

Porphyrius in BA 676, 3 ss:
Ἰστέον τοίνυν ὡς ὁ Θρᾷξ Διονύσιος ὁ περὶ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου διδάξας ἡμᾶς καὶ ἔτι πρὸ τούτων περὶ στοιχείου καὶ συλλαβῆς καὶ λέξεως, οὐκ ἀπὸ τῆς προσῳδίας ἤρξατο ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ὅρου τῆς γραμματικῆς· τὰ δὲ περὶ προσῳδίας ἕτερός τις τούτου μεταγενέστερος διὰ τοὺς ἄρτι τῆς γραμματικῆς ἀρχομένους ἀναγκαίως ἐδίδαξε.

Grammaticus Parisinus:
. . . .
. . . . ἄλλος δέ τις μεταγενέστερος Θεοδόσιος τοὔνομα, τὸν Ἀλεξανδρέα φημί, τούς τε ὀνομαστοὺς κανόνας καὶ τοὺς ῥηματικοὺς ἐτεχνάσατο· ὃν δὴ καὶ τῶν προσῳδιῶν τινες παριστῶσι συγγραφέα διὰ τὸ ἀσαφῶς περὶ τόνων διδάσκειν τὸν Διονύσιον· ἄλλοι δὲ καὶ τοῦτο τοῦ θεολογικωτάτου Γρηγορίου λέγουσιν εἶναι τὸ πόνημα. . . . . .

Nec vero differt commentatio illa de prosodiis, cuius mentionem facit grammaticus, ab ea ipsa quae in Bekkeri anecdotis p. 674-5 legitur, tribus instructa commentariis, Porphyrii p. 675, Choerobosci p. 703, incerti cuiusdam p. 709-720; quam post prooemium de arte grammatica scriptum vel, uti in codice Hamburgensi[6]), ante illud prooemium eam ob causam a recentioribus adiectam esse pro-

---

[5]) Ib. VIII p. 516. [6]) Preller l. c. p. 7.

babile est, ne libellus, si tam gravi grammaticae parte careret, detrimentum inde capere videretur.

Similis est argumentandi ratio quam ex grammaticae paragraphorum 4. 5 condicione derivamus, quibus inscriptum est: περὶ στιγμῆς et τίνι διαφέρει στιγμὴ ὑποστιγμῆς; Quarum quidem altera (§ 5) ita comparata est, ut statim aliquam recentioris originis suspitionem moveat. licet enim molesta eiusdem argumenti repetitio feratur, tamen ipsa quae adhibetur interrogandi forma Byzantinis hominibus admodum familiari posteriorem aetatem prodi iam Graefenhan l. c. I 445 eiusque immemor K. E. A. Schmidt [7]) recte observaverunt. Sed quomodocumque res sese habet, tres ibi inveniuntur distinctiones: στιγμή, μέση, ὑποστιγμή sive ὑποδιαστολή [8])· quarum quae media vocatur tam dubiae est notionis, ut neque ad certas leges revocari possit neque umquam a scriptoribus adhibita esse videatur. Quid quod ne nominis quidem vestigia, si locos quosdam apud scriptores latinos Quintilianum, Donatum, Diomedem exceperis [9]), servata esse videntur. Quantum igitur huius doctrinae simplicitas distat ab illis quae postea Nicanor excogitavit distinguendi artificiis! is autem Herodiani fere aequalis sub Hadriano imperatore vixisse traditur: ac si res quae per se pateat veterum nihilo minus testimonii indiget, ecce Melampodis (qui Dionysium commentatus est) 758, 13 (coll. 759, 17): κατὰ δέ τινα μεταγενέστερον τεχνικόν, φημὶ δὲ τὸν Νικάνορα, ὀκτὼ εἰσι στιγμαί.

Iam vero cum summa argumenti similitudine Dionysii grammatica cum Apollonii Dyscoli, Herodiani patris, scriptis coniuncta sit, fieri non potest quin inde quoque aliquid emolumenti redundet ad hanc quam de grammaticae aetate instituimus quaestionem absolvendam. qua in re ne id quidem videtur praetermittendum esse, quod Graefenhan l. c. uno verbo monuit: si grammatica post Apollonium composita esset, futurum fuisse ut auctor, ne aetatis suae desideriis deesset, aliquam de verborum constructione partem adderet. sed accedunt alia, quibus Apollonii doctrinam multis partibus politius eamque ob causam post grammaticam nostram conscriptam esse appareat: quo pertinet quod Mauricius Schmidt [10]) observavit variis coniunctionum generibus, quae distinxerit, Apollonium Dionysii simplicitati praestare. nec minus mentione digna videntur quae a K. E. A. Schmidtio in eandem partem sagaciter ac subtiliter disputata sunt [11]): cum enim Apollonium in libro aliquo nunc deperdito nominativum inter casus proprie numerandum esse negavisse ex Crameri anecdotorum Oxoniensium vol. IV p. 329 constet: quod Dionysius, quamvis multus sit in nominibus definiendis, ne movit quidem eam dubitationem, id aut mirum est aut priore eius aetate explicatur.

---

[7]) beitraege zur geschichte der grammatik des griechischen und des lateinischen. Halis 1859 p. 519. [8]) nam quod K. E. A. Schmidt l. c. p. 517 n. 11 in vetere Quintiliani (XI 3, 35) editione videtur invenisse: ὑποσυστολή, nihili est. [9]) cf. K. E. A. Schmidt l. c. adde Isidori de origg. 1, 19 (de notis distinctionum) et quae ex codice Monacensi 14429 H. Kettner (in programmate scholastico Rosslebeni 1868 p. 35) edidit, Isidoro simillima. [10]) Philol. VIII 236. [11]) l. c. p. 261.

Simile denique ex silentio argumentum idem vir doctus [12]) elicuit definitiones personae grammaticae ab utroque exhibitas respiciendo: Apollonium enim, quem non fugisset aliqua ex parte Dionysii definitionem (§ 15) laborare, cum quae ille de tertia persona — τρίτον περὶ οὗ ὁ λόγος — dixisset, non minus apte ad primam et alteram referri possent, eius loci explicationem multo accuratius hunc in modum effinxisse: (synt. 3, 25 BA. 1279) τρίτον δέ ἐστι πρόσωπον περὶ οὗ ὁ λόγος μήτε προςφωνοῦντος μήτε προσφωνουμένου· eamque ab omnibus grammaticis comprobatam esse.

De grammaticae commentatoribus.

Iam tota abhinc disputatio in commentariis versabitur, quibus Dionysii grammatica copiose tractatur atque illustratur. Multum enim in explanando eo libro homines potissimum Byzantini desudaverunt: ut vastam scholiorum farraginem rudi indigestaeque moli haud dissimilem qui percurrere voluerit, filum quoddam Ariadneum suo iure circumspiciat. Quare Ludovicus Preller videtur operae pretium fecisse, quod in libello academico supra commemorato [13]) variorum scholiorum, quae ex Dionysii potissimum doctrina quasi ex communi fonte fluxerunt, ordine chronologico quantum fieri poterat constituto unum quasi conspectum resarcire conatus est. Atque Bekker quidem [14]), qui antiquissimorum quae supersunt scholiorum unus editor hoc saeculo extitit, cum soli legentium ut videtur commodo intentus diversas explicationes, quae ad singula verba pertinerent, deinceps describeret, auctorum nomina marginibus suo quaeque loco adpicta — inveniuntur autem nomina Diomedis, Porphyrii, Melampodis, Stephani, Choerobosci, Heliodori — non eadem semper cura exhibuit, ut cui auctori singulae partes tribuendae sint non semper recte perspici possit. Quae cum ad historiam criticam Dionysii commentatorum accuratius constituendam non parvi momenti esse censeret, Preller Hamburgensis codicis subsidiis adiutus per primas sex saltem paragraphos auctorum nomina supplevit, ut si apparatum criticum, quo postea eadem scholia donavit Curtius Wachsmuth in Museo Rhenano novissimo XX (1865) p. 375-389 ex codice Neapolitano, adsumpseris, de singularum observationum origine iam certius iudicium ferre possis.

Eodem et ipsam Theodosii Alexandrini grammaticam [15]) pertinere facile apparet, quam Goettlingius Lipsiae 1822 auctoris nomine ficto in lucem edidit: commentariis enim constat undique compilatis neque ullo inter se vinculo conexis, quibus Bekkeriani et confirmantur et supplentur. Accedunt alia, qualia a Bekkero in adnotationibus (vol. III p. 1161 ss. [16]) passim adiecta aut a Cramero anecd. Oxon. vol. III IV inserta sunt [17]), exilia ea et in arctissimae epitomae formam redacta, quaeque aetatibus progredientibus et labentibus iam studiis grammaticam disciplinam discentium in usum magis magisque attenuatam et contractam esse

---

[12]) p. 366. [13]) cf. not. 2: commentatio nunc repetita est in eiusdem: Ausgewählte aufsätze. Berolini 1864 p. 69-93, adscriptis prioris editionis paginis. [14]) cf. Preller p. 16 ss. [15]) cf. Preller p. 22. [16]) ib. p. 26. [17]) ib. p. 30.

doceant. Eiusdem indolis esse Preller putat eas commentationes, quas F. N. Titze fallacibus rationibus adductus inter ‚Manuelis Moschopuli opuscula grammatica' Lipsiae et Pragae 1822 edita venditavit. Professor enim Pragensis in codice, quem nescio quo casu Reginaehradecium Bohemorum (Koeniggraetz) delatum ab homine quodam antiquitatum Bohemicarum haud imperito acceperat, cum alia Moschopuli scripta invenisse sibi videretur, tum libellum cui Ἐπιτομὴ νέα γραμματικῆς omisso auctoris nomine inscriptum est, eidem auctori attribuit, et neglectis ceteris omni modo operam dedit, ut inde quasi ex fonte antea obstructo integram Moschopuli doctrinam hauriret. crassa tamen Minerva rem gessit: neque enim eius cuius voluit auctoris opusculum esse cuiquam persuasit nec omnino editionem, uti debebat, accurate absolvit. sed ne in reprehendendo libro, qui inter tot litterarum incrementa tantum non videtur interiisse, operam et oleum perdamus — quae notabilia et reiectanea visa sunt, ea fere praeoccupavit is qui paullo post editum libellum censuram eius egit [18]). Nec vero ipsum editorem fugit fragmentum tantum se edidisse, quod et titulo ipso indicabatur, cui adiectum est: Βιβλίον πρῶτον, quem librum alter non excipit, et ex viri docti cuiusdam adnotatione [19]) constabat, cuius et ipse Titze p. 13 et is qui editionem recensuit, mentionem faciunt, qua codice Veneto Marciano (catalog. bibl. S. Marci p. 287) et epitomam illam contineri refertur et alterum eius librum exhiberi. Cuius rei memoriam animis recolentes, dum Venetiis moramur, ego et Guilelmus Studemund, qui librum priorem cum exemplo Titziano ad codicem Venetum diligentissime contulerat, alterum librum fideliter descripsimus, adiuti ex parte grata Rudolfi Schoellii opera, deinde apographum nostrum cum codice iterum contulit Studemund, ne quid erroris dubitationisque remaneret. Qua opella haud scio an quantulamcumque in hac disciplinae parte lacunam supplentes virorum doctorum desideriis satisfecerimus. Ceterum ad nostram usque aetatem per tot lustra hoc officium reservatum fuisse non mirabitur, qui aut eorum qui his studiis operam navant paucitatem noverit aut eorum qui ea ignorant fastidium.

Codex igitur Venetus Marcianus DXXXI chartaceus forma quadrata saec. XV-XVI miscell. (cuius et ipsius Titze p. 13 mentionem fecit) inde a folio 80^v usque ad folium 88^v eadem manu et scriptus et passim correctus haud difficilis est ad legendum sed scripturae compendiis abundat [20]). Continetur his foliis ἐπιτομὴ νέα γραμματικῆς etc. . . . . βιβλίον πρῶτον c. q. s. = Titze l. c. p. 17-43 usque ad verba — μείζονος καὶ τυγχάνει, unde nonnullae emendationes et discrepantiae ad contextum Titzianum redundant. Quae verba statim in eadem pagina excipiuntur titulo:

---

[18]) Goetting. gelehrt. anzeig. 1823 p. 801-807. [19]) Bibliothek der alten litteratur und kunst I p. 32. [20]) I subscripta ubique omissa sunt, periodorum initio litterae rubrae minusculae positae, eisdem litteris capitum singularumque particularum tituli ornati sunt.

Ἐπιτομὴ νέα γραμματικῆς, βιβλίον δεύτερον. ἐν ᾧ ὅροι τε τῶν (cod. τὲ τοῦ) η' τοῦ λόγου μερῶν καὶ ἀπόδειξις διὰ τί η' εἰσὶ καὶ οὔτε πλείω οὔτε ἐλάττω καὶ διὰ τί οὕτω κατείλεκται, ὅροι τε τῶν παρεπομένων αὐτοῖς. καὶ τίνα τίσι παρέπεται καὶ τίνα αὐτοῖς ἴδια καὶ κοινά. Totius autem libelli finis hic est fol. 105ʳ: συνδέσμου δὲ τὸ συνδεῖν καὶ συμπλέκειν τὴν τοῦ λόγου φράσιν. κόσμου χάριν. τέλος. undecim constat capitibus et praeterea brevioribus instructus est titulis qui ad singulas dissertationis partes pertinent, ita tamen ut a librario ex archetypi margine in media verba translatos titulos alieno interdum loco invenias.

Huius alterius partis ne qua praeter codicem Venetum vestigia aut in anecdotis aut in codice aliquo nondum accuratius excusso me fugerent, sedulo cavi: nec tamen quamvis diligenter mihi circumspicienti ulla usquam occurrerunt. Quae enim I. A. C.(ramer) in Mus. philol. Cantabrig. II 114[21]) ex codicis Barocciani 216 fol. 163 excerpsit: βαρεώτερος ἀπὸ τῆς γενικῆς εἶπον βαρέως βαρεώτερος σπανίως μέντοι· καὶ ἔτι Αἰσχύλος μειζονώτερος ὑπερτερώτερώς τε (!) καὶ χερειότερος καὶ ῥήτερος καὶ πλειότερος. ὡς δὲ καὶ τοῦ ὑπερθετικοῦ τὸ πρώτιστος· εἴλαυσαν (!) εἰς τὸ πρώτιστον· ea etsi inde a verbis καὶ ἔτι Αἰσχύλος.... ad similitudinem nostri grammatici tam prope accedunt, ut singulare illud mendum ειλαυσαν (εἴλαυσαν cod. Venet.) — quod Cramero in ἤλασαν, Nauckio rectius in εἵλκυσαν corrigendum esse visum est — in utroque extet: in eo codice non ipsum nostrum librum asservari inde evincitur, quod verba illa non minus cum Maximo Planude 75, 14-18 (Bachmanni anecdota graeca II) et aliqua saltem ex parte cum Philemone p. 135 Osann. consentiunt: sed de his infra agetur copiosius.

Ac primum omnium de orationis partium finibus numero ordine (quae est materia secundi epitomae libri) disserendi officium apud veteres grammaticos non inusitatum fuisse ex titulis intellegitur quales sunt: περὶ τῶν μερῶν τοῦ λόγου sive περὶ μερισμοῦ τῶν τοῦ λόγου μερῶν· ita enim libri aliquot deperditi olim inscripti erant: velut Tyrannionem alterum, prioris discipulum et Dionysii aequalem περὶ τῶν μερῶν τοῦ λόγου scripsisse tradidit Suidas s. v.[22]) Qua in re definienda cum iam veteres philosophi studia sua collocaverint, octo illas orationis partes quibus nos utimur a Dionysio primo eo ordine quo §§ 14-25 apparent, collocatas esse consentaneum est: ipsamque grammaticam quod et litterarum syllabarumque et orationis partium doctrinam amplectitur περὶ τῶν στοιχείων καὶ τῶν ὀκτὼ μερῶν τοῦ λόγου nominatam esse discimus ex Nephonis monachi adnotatione in cod. Par. 2558 Dionysii grammaticae fronti adscripta (BA. p. 1129). Quodsi prior epitomae nostrae pars a litterarum origine diversisque earum generibus incipit, altera in octo partibus orationis versatur, γραμματικῆς voce quae in titulo occurrit, notam

---

[21]) cf. A. Nauck trag. graec. fragm. p. 96 num. 425, et eiusdem lexicon Vindobonense p. 324.
[22]) cf. Bernhardy Suidas II 2, 1245. similis extat Constantini Lascaris liber: ἐπιτομὴ τῶν ὀκτὼ τοῦ λόγου μερῶν. Steinthal geschichte der sprachwissenschaft etc. p. 577.

illam Dionysii grammaticam intellectam esse ab eo qui epitomam confecit in duos libros divisam, non sine aliqua veritatis specie iam nunc conicere liceat.

Nostrum igitur erit singulas et prioris et posterioris libri partes accurate cum Dionysii grammatica eiusque scholiis conferre et quid inde in epitomam receptum sit demonstrare. de eis vero partibus, quae cum a Dionysii similitudine recedant, aliam produnt originem, ita agemus, ut ipsis grammaticorum locis quorum simile est argumentum, quantum fieri potest comparatis omnibus, quomodo singula grammaticae praecepta per saecula tradita in epitoma nostra tractata sint quam clarissime appareat: nam nisi accurata fontium disquisitione nixi erimus, de aetate qua epitoma composita sit, externis omnibus destituti testimoniis certum iudicium ferre non poterimus: simulque futurum editorem ad editionem multis partibus emendandam subsidia critica inde petiturum esse confidimus.

De epitomae parte priore.

Dionysii grammatica cum ab artis definitione et singularum quas amplectitur partium enumeratione incipiat (§ 1), mox de lectione (§ 2) praecipit, ut recto corporis actu (καθ' ὑπόκρισιν), ut ad accentum (κατὰ προσῳδίαν) pronuntietur, ut verba et sententiae recte distinguantur (κατὰ διαστολήν), ut lentius aut celerius, concitatius aut lenius, prout argumentum poscat, declametur. Tum adiectis observationibus de accentibus (§ 3) de interpunctionis generibus tribus (§§ 4. 5), nescio qua de causa eo loco (§ 6) rhapsodiam a baculo laureo quo Homeri carmina declamantes uti solebant, dictam esse doceatur, nisi quod, ut est apud scholiastam, pueri primum Homeri lectione instituebantur[23]).

Quarum observationum in epitoma extat nulla: omissis enim his, quae minus ad grammaticae elementa discenda quam ad oratorem informandum pertinere viderentur, qualia sunt apud rhetores (e. c. Walz III 562) capita: περὶ τοῦ πῶς δεῖ ἀναγιγνώσκειν; — primus in ea locus datus est litterarum origini: ita enim caput primum inscriptum est: περὶ εὑρέσεως τῶν τοῦ λόγου στοιχείων. Atque ab eiusmodi observatione incipere solitos esse recentiores interpretes, simillimo Theodosii quae vocatur grammaticae exordio illustratur[24]). Quorum uterque cum suo iure contendat Phoenicum litteris Graecos antiquitus usos esse: quae praeterea de graecarum litterarum inventione tradiderunt, ea ut ficta ita apud Byzantinos homines divulgata fuisse constat[25]). Palamedem igitur litteris extrinsecus adscitis et in graecas conversis simulque quattuor inventis sedecim numerum explevisse, deinde a Cadmo Milesio adspiratis φ χ ϑ adiectis a Simonide summam confectam esse

[23]) Steinthal geschichte der sprachwissenschaft p. 563. [24]) id. p. 532. [25]) A. Kirchhoff Studien zur geschichte des griechischen alphabets p. 1.

additis η ω et ζ ξ ψ, quae tamen ultimae in epitoma[26]) ab Epicharmo Syracusano inventae esse traduntur.

His de inventione litterarum praemissis, quae in grammaticae § 7 desunt, in scholiis tamen ad eam paragraphum conscriptis aliquanto copiosius tractantur, de discrimine στοιχεῖα et γράμματα vocabulorum agitur, quae a Prisciano ‚elementi' et ‚litterae' vocibus expressa esse Steinthal[27]) monet: στοιχεῖα παρὰ τὸ στείχειν ὅ ἐστι πορεύεσθαι dicta esse, quod litteris recte digestis et syllabae et voces efficerentur, quae explicatio identidem recurrit (gramm. 630, 32. schol. 789, 24. Theodos. 2, 21) addita simul altera, quae magis Aristoteleam redolet doctrinam (schol. Arist. p. 101, 16[28]) et similiter a Dionysio Halicarnasseo tradita est:

epitom. p. 18: στοιχεῖον μὲν ἔστιν ἀφ' οὗ πρῶτον γίνεταί τι καὶ εἰς ὃ ἔσχατον ἀναλύεται.	Dion. Hal. de comp. verb. c. 14: στοιχεῖα ὅτι πᾶσα φωνὴ τὴν γένεσιν ἐκ τούτων λαμβάνει πρῶτον καὶ τὴν διάλυσιν εἰς ταῦτα ποιεῖται τελευταίαν.

γράμματα autem nominatas esse litteras: γράμμα δὲ σημεῖον στοιχείου ἐν σχήματι γραμμῆς ποσῷ ἢ ποιῷ καταλαμβανόμενον (= Theod. p. 2, 15). Quaestio denique, cur A litterarum agmen ducat, quae sub finem capitis adiecta est, aliqua ex parte eis respondet, quae Theodosius p. 3, 27 hariolatus est.

Cp. 2. de litterarum finibus. Caput alterum cui περὶ ὅρων στοιχείων καὶ παρεπομένων inscribitur, ideo non copiosae indiget explicationis, quod et litterarum index alphabetico ordine digestus cum Theodosio p. 13, 27 plane consentit et quattuor illa quae enumerantur litterarum accidentia:

	ὄνομα		χαρακτῆρες	θέσεις	δυνάμεις	vide quam
similia sint et illis quae 773, 22' distinguuntur:						
	ὄνομα		χαρακτήρ			ἐκφώνησις
et p. 795, 11:	ὄνομα	σχῆμα[1]	χαρακτήρ		δύναμις	
et copiosius ap. Theod. p. 3, 1:	ὄνομα	σχῆμα	χαρακτήρ	θέσις	ἐκφώνησις καὶ δύναμις	

neque nova aut inaudita observatio est, qua litteras ut simplicissima syllabarum elementa sint, ita divisionem non amplius admittere docetur. (cf. Theod. p. 2, 27. Priscian. XVII 2.)

Quibus absolutis si brevia argumenta singulis capitibus praefixa cum grammatica contuleris, totum epitomae ordinem ad eius similitudinem institutum esse apparebit.

---

26) cf. schol. BA. 782, 29. 27) l. c. p. 554. 28) ib. 248.

epitomae cap. γ′ περὶ διαιρέσεως τῶν στοιχείων respondet	Dionys.	gramm.	§ 7 p. 631, 1 ss.	
„ δ′ περὶ συλλαβῆς	„	„	„	§ 8
ποσαχῶς διαιρεῖται ἡ συλλαβή				
ὅρος μακρᾶς συλλαβῆς	„	„	„	§ 9
ὅρος βραχείας συλλαβῆς	„	„	„	§ 10
περὶ κοινῆς συλλαβῆς[29])	„	„	„	§ 11
„ ε′ [περὶ λόγου][30]) καὶ λέξεως	„	„	„	§ 13. 12.

Epitomae caput tertium simili ordine atque Dionysii § 7 et Theodos. p. 35 ss. institutum esse facile apparet: praemissis enim vocalium et consonarum definitionibus, utraeque ut solent distribuuntur: vocales aut productae aut correptae aut ancipites[31]), secundum positionem praepositivae aut subiunctivae[32]) (προτακτικά, ὑποτακτικά) — sunt μεταβολικὰ aut ἀμετάβολα, prout in nominum vel verborum flexione mutationem aut admittunt aut non admittunt. consonarum divisio nota est: quod inter duplices sola ζ littera vocem non terminari docetur[33]), id Theodosii respondet observationi (p. 38, 1). Tum disquisitio quae inde a verbis: Οὐχ ὡς ἔτυχε δὲ οἱονδήποτε τῶν μέσων ἐστὶν οἱουδήποτε (p. 21 infr.) interposita est de humani corporis membris lingua dentibus labris, quorum ope consonae mutae efferantur, ea ad verbum fere deprompta videtur ex scholio Melampodis 810, 5 — 811, 10 — quem auctorem ex codice Hamburgensi Preller eruit. sed adiciuntur alia inde a p. 22 med.: Τὰ μὲν γὰρ τῶν γραμμάτων λειοτέρους ἀποτελεῖ φθόγγους.... maiore vel minore soni suavitate, qua singulae litterae pronuntientur, syllabas et productas et correptas oriri, quibus ut quaeque sententia versus periodus abundet ita aut magnificum aut exile dicendi genus efficiatur: sed ne ea quidem a grammaticorum studiis aliena sunt, quos multum in his physiologicis quae dixerim linguae primordiis versatos esse documento sunt observationes, quales occurrunt apud Theodosium 42, 24 aut apud Choeroboscum BA. p. 1176: adspiratis et mediis fortiores esse (ἰσχυρότερα) tenues, mutis semivocales.

Iam inde a verbis: Ἔτι τὰ διπλᾶ οὐδέποτε ἑτέρων συμφώνων ἤτοι προτάσσεται ἢ ὑποτάσσεται (p. 23 i.), quae spatio ad litteram initialem (E) capessendam relicto a praecedentibus in Veneto recte seiuncta sunt, quaestio in eo versatur, ut quales litterae quave ratione inter se consociari possint, perspiciatur, velut duplicibus consonis consonas nec excipi nec eas sequi, tenues tenuibus, adspiratis adspiratas excipi et similia. Cuiusmodi observationes cum iam apud Apollonium Dyscolum legantur: (περὶ συντάξ. 58, 1 ss.) ὃν γὰρ τρόπον κἀπὶ τῶν στοιχείων ἔστιν ἐπινοῆσαι τὰ ὑποτακτικὰ οὔποτε προτακτικὰ γινόμενα τῶν οἷς ὑπετάγη, τὸν αὐτὸν τρόπον στοιχείου λόγον ἐπέχοντα τὰ μέρη τοῦ λόγου τὸ τοιοῦτον ἐπιδείκνυται, singularem de ea materia libellum

---

[29]) quos tres titulos omisit Venet. [30]) περὶ λόγου recte addit Venetus. [31]) τὰ μὲν δὴ φωνήεντα ἐπιδιήρηται (pro ἐπιδιήρεται) legendum esse vix est quod moneam. [32]) ita terminos a Prisciano conversos esse Steinthal adnotat p. 561. [33]) ταῦτα δὲ καὶ κλήτικά εἰσιν ἐν ὀνόμασι πλὴν τοῦ ζ — Venet. ληκτικά.

περὶ συντάξεως τῶν στοιχείων sive περὶ τάξεως τῶν κδ' στοιχείων ab Herodiano Apollonii filio conscriptum esse Lentzius praef. p. XCVI ostendit eiusque fragmenta collegit: eodem pertinet Melampodis adnotatio 818, 4 ss. alterque locus (789, 25 ss.), qui verbis 818, 11: ὡς ἔφαμεν γὰρ τὰ φθάσαντά τινων προταγῆναι significatur. Quibus confectis epitomae auctor verbis: Ἔτι ἀμετάβολα λέγεται συμφώνων μὲν ἃ μήτε κ. τ. λ. (p. 24, med.) redit ad mutationem illam iam supra breviter a nobis indicatam, quam in flexione subeant et consonae et vocales[34]): unde simul ad diphthongos enumerandas via patefacta est, de quibus in Veneto singulari disputatione: περὶ διφθόγγων inscripta disseritur.

De diphthongis. Ac fundamentum quidem totius quae est de diphthongis doctrinae in grammatica p. 631, 10 s. positum est[35]): Δίφθογγοι δέ εἰσιν ἓξ αι αυ ει ευ οι ου· attamen eo numero rationes, quibus ex binis vocalibus diphthongus fieri posset, nondum exhaustas esse Melampus ad eum quem adposuimus locum recte observavit: (803, 5) Λείπει τὸ εὔφωνοι· οὐ γὰρ μόνοι εἰσὶν ἓξ [ἀλλὰ δυοκαίδεκα]; ita enim ex cod. D (= Vatic. 1766 cf. BA. p. 1162) supplendum esse adnotatione critica (p. 1172) docemur. Qui XII numerus eo modo efficitur ut εὐφώνοις illis tres κακόφωνοι ηυ ωυ υι tres ἄφωνοι ῳ ῃ ᾳ subiungantur. sed mirum est quod idem scholiasta perversa diphthongorum numerandarum ratione usus sic pergit: καὶ οὐ μόνον εἰσὶν ἓξ δίφθογγοι ἀλλ' ἕνδεκα. atque extitisse inter grammaticos aliquam de earum numero disceptationem, qua alius alio modo sese expediret, eo ipso scholio confirmatur, quo Melampodis scholion excipitur (803, 16), ubi ᾳ diphthongo omissa undecim summa recte efficitur: quocum et ipsa ᾳ omissa Choerobosci (BA. 1214, 11) series plane consentit. Augebatur autem ea difficultas ac dubitatio, cum grammatici alteram distribuendi viam κατ' ἐπικράτειαν, κατὰ κρᾶσιν, κατὰ διέξοδον ingressi, cui ordini αι ᾳ aut ει attribuendae essent, non satis exploratum haberent. Cum enim αι et οι a ceteris eo viderentur differre, quod correptarum vocalium instar et ὀξεῖαν in antepaenultima et περισπωμένην in paenultima admitterent, quo ει referendum esset, ideo dubitabatur, quod ῑ Graecorum ea aetate simillime videtur pronuntiata esse. Invenitur autem altera illa diphthongorum divisio in scholio 804, 7 ss. quod tamen magna ex parte mutilum l. 12 post verba: κατὰ κρᾶσιν e Choerobosco l. c. hunc in modum restituendum est: αἱ δὲ κατὰ κρᾶσίν [εἰσιν ὡς ἐπὶ τῆς ου διφθόγγου καὶ τῆς αυ καὶ τῆς ευ.... κατὰ διέξοδον δέ εἰσιν ὡς ἐπὶ τῆς ηυ διφθόγγου τῆς διὰ τοῦ η καὶ υ, καὶ τῆς ωυ τῆς διὰ τοῦ ω καὶ υ καὶ τῆς υι τῆς διὰ τοῦ υ καὶ ι.... ἐπειδὴ οὖν ἡ αι δίφθογγος ἡ ἐκφωνοῦσα τὸ ι καὶ ἡ οι δίφθογγος οὔτε κατ' ἐπικράτειάν εἰσιν οὔτε κατὰ κρᾶσιν] οὔτε κατὰ διέξοδον[36]). Qui superest Theodos. p. 35 catalogus

---

[34]) velut augmenti vi ᾰ in η, ο in ω transit, cum ὠφέλουν ab ὀφελέω derivetur ω non mutato. [35]) locos qui huc pertinent congestos video omnes a K. E. A. Schmidt l. c. 90. [36]) lacuna exorta est librarii oculis a priore κατὰ κρᾶσιν ad posterius κατὰ κρᾶσιν aberrantibus.

diphthongorum, duodecim si priorem, decem si alteram distribuendi rationem secutus eris, et αι et οι omissis, amplectitur. Nostrae autem epitomae seriem, etsi librariorum neglegentia aliquot locis depravatam iam K. E. A. Schmidt l. c. sagaciter restituit, nunc codicis Veneti auctoritate confirmatam ex parte apponere liceat:

Τῶν δὴ φωνηέντων δίπλωσις ποιεῖ διφθόγγους ξξ..... ἀλλὰ καὶ[37]) [1]) τὸ η̄ προσγραφομένου τοῦ ῑ καὶ ἔτι μετὰ τοῦ ῡ καὶ τὸ ω̄[2]) μετὰ τοῦ ῑ [καὶ μετὰ τοῦ ῡ] καὶ τὸ ῡ δὲ καὶ τὸ[3]) ᾱ μετὰ τοῦ προσγεγραμμένου[4]) ι. Αἱ τοίνυν δίφθογγοι αἱ μέν εἰσι κατ' ἐπικράτειαν ὡς ἐπὶ τῆς ει̅ καὶ τῆς[5]) ηι̅ καὶ τῆς ωι̅ καὶ τῆς ᾱͅ ... αἱ δὲ κατὰ κρᾶσιν, ὡς ἐπὶ τῆς[6]) ου̅ καὶ τῆς αυ̅ καὶ τῆς ευ̅ ... αἱ δὲ κατὰ διέξοδον ὡς ἐπὶ τῆς ηυ̅ καὶ τῆς ωυ̅[7]) καὶ τῆς υι̅ ...

Sed ne diutius in hac epitomae parte moremur, totum quod sequitur caput (quo agitur περὶ συλλαβῆς) tantum abest ut a Dionysii grammatica differat, ut ex ea ad verbum fere descriptum sit: quae ab epitomae auctore addita sunt, ea aut inepta sunt aut supervacanea: velut in enumerandis diversis rationibus, quibus syllabae efficiantur, singulis consonis cum singulis vocalibus consociatis aut binis vel ternis cum singulis vel binis ne una quidem Byzantini hominis paene putidam diligentiam effugit. In eis tamen quae secuntur, verba quibus syllaba anceps explicatur: Κοινὴ δέ ἐστιν ἡ δυναμένη μακρὰ εἶναι ἡ αὐτὴ καὶ βραχεῖα (p. 27) in codice Veneto tertiae parti rectius praefixa non ut in codice Regin. subiecta esse observandum est: exempla fere eadem et in Dionysii grammatica (§. 11) et in epitoma occurrunt, sed triplex ordo, quo disputatio de syllaba ancipiti procedit, suo cuique exemplo versu Homerico adiecto ita immutatus est, ut in epitoma vers. Il. XIV 1 et quae ad eum explanandum dicta sunt alterum, Il. XIX 287 tertium obtineat locum.

Praemissis deinde definitionibus λόγου et λέξεως vocabulorum, quae e grammatica depromptae sunt, et explicatis variis λόγου notionis significationibus[38]), ea quae secuntur a Dionysii similitudine longissime recedere epitomae argumentis sub unum conspectum redactis statim apparebit:

epitoma: ε' adiect: περὶ παθῶν λέξεων	Dionysii grammatica: *deest*
ϛ' περὶ προσῳδιῶν	*deest*
καθολικοὶ κανόνες περὶ πνευμάτων	*deest*

[37]) [1]) ἀλλὰ καὶ Ven., ἀλλὰ Reg., ἄλλαι Titze. — [2]) ω̄ Ven., ω̄ μέγα Reg. — [3]) τὸ add. Ven. — [4]) post προσγεγραμμένου perperam τοῦ add. Reg. — [5]) ει̅ καὶ τῆς om. Ven. — [6]) τοῦ Reg. — [7]) καὶ τῆς ωυ̅ recte add. Ven., idemque coniectura assecutus est K. E. A. Schmidt Sedinensis, vir praestantissimus, olim praeceptor meus, cuius piam memoriam occasione oblata renovare liceat: quem in hoc aspero studiorum genere totum versatum esse palmamque meruisse haud spernendam luculento argumento sunt studia in libro identidem commemorato collecta et adnotationes quibus ad marginem anecd. Bekk. exemplaris adpictis plus uno loco non sine fructu me usum esse grato animo profiteor. [38]) Qui mos est Byzantinorum: similiter sed brevius Suidas s. v. λόγος δὲ σημαίνει ϛ'. Διαφέρει δὲ λέξις καὶ λόγος....

περὶ τόνων	§. 3 περὶ τόνων
κεφ. ζ' [numer. add. Ven.] περὶ στιγμῆς	§. 4 περὶ στιγμῆς
	§. 5 τίνι διαφέρει στιγμὴ ὑποστιγμῆς;

Quod igitur ea quae de vocum passionibus et de prosodiis docentur a Dionysii grammatica absunt, in epitomam autem recepta sunt, non mirabitur, qui quantum doctrina profecerit inde ab ipsius Dionysii aetate usque ad id tempus, quo commentarii in Dionysium conscribebantur, recte meminerit nec quam penitus immutata sit tota grammaticae tractandae ratio praetermiserit. laudabili autem novandi studio in hoc genere excelluisse Herodianum iam supra diximus, qui cum novum ac splendidum disciplinae fundamentum iecit tum ingenii auctoritate, qua hominum mentes maxime commoveri solent, omnes imbuit qui post eum his studiis operam dederunt: ut meritis priorum obscuratis non magis earum rerum quas ipse primus edocebat quam illarum quas ab aliis excogitatas suo ingenio excolebat, auctor locupletissimus haberetur. unde factum est, ut etiam recentioris aetatis scriptores inter vastam observationum farraginem Herodianeae doctrinae reliquias passim servarent, velut in variis eiusdem fontis rivis, quamvis luti ac limi partem ex eis per quas fluunt regionibus receperint, aliquid saltem pristinae originis servari solet. Quae igitur in grammatica aut plane deesse aut parum accurate videbantur tractata esse, ea ab Dionysii commentatoribus facile suppleri poterant.

Cp. 5. de vocum affectionibus. Ac primum quidem de vocum affectionibus, cui disciplinae iam ante Herodianum Didymi Tryphones Apollonii operam dederant[39]), cum ceterorum genuina opera deperierint ad unum omnia neque ex praeclaris Tryphonis studiis quidquam supersit praeter quinque locos quos A. de Velsen collegit[40]): qualis Herodiani fuerit doctrina, post egregias A. Lentzii curas iam accuratius perspicere licet. Ac cum viri docti liber, quo ‚Herodiani technici reliquiae' collectae sunt, facile omnium qui in hoc studiorum genus incumbunt manibus teratur, satis habeo ex praefatione illius[41]), quantum opus est ad cognoscendam mutationem, quam illa doctrina posteriorum grammaticorum opera subierit, hoc loco excerpsisse. sex igitur, ait, apud Herodianum esse affectionum genera: pleonasmum et ellipsim, diaeresim et synaeresim, tropen, hyperthesim, sed uniuscuiusque generis varias esse species: eandem affectionem compluribus significari vocabulis: singulorum terminorum notiones non semper eisdem quibus postea finibus circumscribi, velut syncopen pro apocope, sed non item apocopen pro syncope usurpari, κρᾶσιν et συναίρεσιν a recentioribus, velut a Choerobosco 157,1, diligenter inter se disiunctas promiscue poni, προσχηματισμόν, παρέκτασιν nomina nondum inveniri. Qua

[39]) Ritschl opusc. I 649. [40]) Tryphonis grammatici Alexandrini fragmenta collegit et disposuit. Berol. 1853, nr. 130—134. [41]) p. LXXXIII—XCVI.

ratione doctrina illa postea exculta sit, nonnullis commentationibus intellegitur, quae de eo argumento conscriptae etiamnunc extant: Quarum agmen ducat libellus, qui ficto Tryphonis nomine (quamquam multa quae in eo continentur procul dubio e genuino Tryphonis libro repetita sunt) περὶ παθῶν τῶν λέξεων ἐκ τῶν τοῦ γραμματικοῦ Τρύφωνος inscribitur[42]. incipit autem: τὰ τῶν λέξεων πάθη εἰς δύο γενικώτατα διαιροῦνται ποσόν τε καὶ ποιόν. καὶ τοῦ μὲν ποσοῦ εἴδη ἔνδεια καὶ πλεονασμός. τοῦ δὲ ποιοῦ μετάθεσις καὶ μετάληψις. ἀμφοτέρων δὲ ὁμοῦ συνελθόντων τμῆσις γίγνεται. ac cum metathesis metalepsis tmesis magis minutam divisionem non admittant, priorum generum: pleonasmi et ellipsis constituuntur species novem haece: prosthesis anadiplosis ectasis epectasis diaeresis parenthesis diplasiasmus paremptosis proschematismus et quae eis contrariae sunt et ipsae novem: ἀφαίρεσις ἄρσις συστολὴ συγκοπὴ συναλοιφὴ ἔλλειψις παρέλλειψις ἔκθλιψις ἀποκοπή. Συναλοιφῆς species iterum singulari diligentia distinguuntur: tres simplices κατὰ θλῖψιν κρᾶσιν συναίρεσιν, compositae quattuor: κατὰ θλῖψιν καὶ κρᾶσιν, κατὰ θλῖψιν καὶ συναίρεσιν, κατὰ κρᾶσιν καὶ συναίρεσιν, κατὰ θλῖψιν καὶ κρᾶσιν καὶ συναίρεσιν. — Cui simillimum est caput e codice Parisino nr. 2662 Moschopuli nomine descriptum[43]: nisi quod tribus, quae κατὰ ποιὸν sunt, affectionibus plane omissis ceterarum ordo ita immutatus est, ut binae inter se oppositae sese excipiant (velut πρόσθεσις-ἀφαίρεσις). disputatio vero de synaloephe sola, quae maxime grammaticorum animos movisse videtur, in commentarium ad prosodiam conscriptum (BA 697, 23 ss.) post ecthlipsis mentionem recepta est: denique breves tabulae, quibus diversa affectionum nomina nonnullis exemplis additis magis enumerantur quam explicantur, apud Titzium in farragine dissertatiuncularum extant, quae Pseudo-Moschopuli epitomam excipiunt p. 58 s. eaedemque a Boissonnade descriptae in anecd. graec. III p. 321. Ea vero quae in epitoma nostra περὶ παθῶν inscribitur commentatio (cuius causa haec omnia praemunita sunt) tam similis est particulae in Ios. Rhacendytae synopsi (Walz rhet. graec. III p. 565-569) paullo correctius conscriptae, ut inde velut ex eiusdem archetypi apographo aliquot locis emendari possit. In qua cum et ipsae illae κατὰ τὸ ποσὸν et κατὰ τὸ ποιὸν affectiones distinguantur ac sicut in Moschopuli recensione, quam in codice Parisino 2662 extare diximus, prioris generis binae inter se opponantur, aliqua difficultas inde subnascitur, quod cum συναλοιφῆς locum συναίρεσις obtineat, affectionum κατὰ ποιὸν appellatarum agmen ducit συναλοιφὴ in easdem septem species divisa quas iam enumeravimus, quarum tertia: συναίρεσις tota distinctione perturbata bis et inter synaloephes et inter ellipsis species

---

[42]) invenitur (cf. K. E. A. Schmidt p. 95 n. 6) in Constantini Lascaris grammaticae epitoma edit. Roman. 1608 II p. 51-58, in lexico graeco-latino Hadriani Iunii Basil. 1557, in Museo Cantabrigiensi I 1814. adde Labbaei glossaria (in Stephan. Thesaur. appendice) Londini 1816-26. p. 671 ss. cf. A. de Velsen l. c. p. 97. [43]) in Gregorio Corinthio ed. Schaefer p. 675-81, quocum consentiunt: Thomae Moschopuli aliorum excerpta apud Bachmann. anecd. II 364,20—370,17.

recurrit: inter reliquas κατὰ ποιὸν affectiones desideratur tmesis, additis enallage metaschematismo antithesi.

Cp. 6. de prosodiis. Doctrinam de prosodiis permultum Herodiano debere cum supra iam observavimus tum inde apparet, quod ab definitione, quam eum operis fronti praefixisse scimus, quicumque postea de eo argumento egerunt, profecti sunt omnes. Προσῳδία, inquit, (Lentz l. c. p. 5, 1) ἐστὶ ποιὰ τάσις ἐγγραμμάτου φωνῆς ὑγιοῦς κατὰ τὸ ἀπαγγελτικὸν τῆς λέξεως ἐκφερομένη μετά τινος τῶν συνεζευγμένων περὶ μίαν συλλαβήν, ἤτοι κατὰ συνήθειαν διαλέκτου ὁμολογουμένης, ἤτοι κατὰ τὸν ἀναλογικὸν ὅρον καὶ λόγον: eandemque definitionem epitomae auctor in capitis sexti exordio posuit. Qua praemissa quae restat explicatio tota ex commentatione de prosodiis pendet, qua Dionysii grammaticam suppletam esse ostendimus: quae Herodianeae doctrinae simillima in hoc uno ab eius praeceptis recedit, quod tribus affectionibus: apostropho hyphen hypodiastole, quibus coniungendane sint inter se duo vocabula an separanda significatur, inter prosodias receptis denarium numerum effecit: eis enim exclusis septem tantum ab Herodiano distinctas fuisse (tres accentus, syllabarum quantitatem duplicem, spiritus duos) disertis Porphyrii (BA 683, 22 coll. 680, 21-24) et Choerobosci (703, 31 coll. 705, 5) testimoniis docemur[44]. — In epitoma igitur postquam quattuor prosodiarum genera enumerata sunt (p. 31: διῄρηνται γὰρ εἰς χρόνους εἰς τόνους εἰς πνεύματα καὶ εἰς πάθη) et primo loco quantitatum definitio posita est, verba quae in explicatione trium quas diximus affectionum occurrunt: τρία δὲ τὰ πάθη ἡ ἀπόστροφος ἡ ὑφὲν καὶ ἡ ὑποδιαστολή, ἃ καὶ καταχρηστικῶς προσῳδίαι λέγονται: Porphyrii observationis de qua diximus memoriam revocant; 683, 22: χρὴ δὲ γιγνώσκειν ὅτι τὰ πάθη οὐκ εἰσὶ κυρίως προσῳδίαι ἀλλὰ καταχρηστικῶς.

Iam καθολικοὶ κανόνες de vocalium et diphthongorum spiritibus ex litterarum ordine digesti qui secuntur, cum (p. 32-40) dimidiam fere libri partem amplectantur, a praecedentium capitum tenuitate admodum distant. Quibus tabulis simillimum esse lexicon de spiritibus quod inscribitur: Λεξικὸν περὶ πνευμάτων ἐκλεγὲν ἐκ τῶν περὶ πνευμάτων Τρύφωνος Χοιροβόσκου Θεοδωρίτου καὶ ἑτέρων καὶ ἀντιγράφοις διαφόροις ἀντιβληθὲν καὶ ὀρθωθέν (apud Valckenaer. Ammon. p. 207-242) cum iam Titze recte observaverit, restat ut alterius capitis quod περὶ πνευμάτων inscribitur et Constantini Lascaris epitomae II p. 85 ss. ed. Rom. adiectum est, mentio fiat: nec potest dubitari quin tria illa Byzantinorum scripta Herodiani Tryphonis aliorum in hac doctrina principum fundamento nitantur; nam Tryphonis nomen et in titulo quem exscripsimus et una cum Herodiano in epitoma p. 32 extr. legitur: sed priore loco, ubi apud Titzium εἰ καὶ Ἡρωδιανὸς ἐν τῇ Ὁμηρικῇ προσῳδίᾳ ψιλοῦσθαί φησι editum est, non recte se habere verba ἐν τῇ Ὁμηρικῇ προσῳδίᾳ et codex Venetus demonstrat, ubi ἐν τῇ ὁρικῇ προσωδία exaratum est, et Lentzius p. 539 intellexit ἐν

[44]) cf. Lentz praef. XXXXIV.

τῇ καθολικῇ προσῳδίᾳ (libro XX) substituendum esse: nec tamen ille praeterea epitomae rationem habuit, neque nostrum est, qua necessitudine illa lexica et inter se et cum Herodiani doctrina coniuncta sint, hoc loco exponere: nam et operosus labor est et qui huius libelli fines longe transgrediatur.

Quartam quae superest prosodiae partem ‚de accentibus' (περὶ τόνων p. 40), si fontes respicias, in duas particulas distribuendam esse iam Mauricius Schmidt (Philol. VIII 245) recte ostendit: priorem e commentationibus de prosodiis (BA 684, 27 ss.) quae ex illustrissimo Porphyrii libro excerptae sunt compositam, alteram quae incipit a verbis: Ἰστέον ὡς μία [μόνον] μόνη λέξις ἐγκλίνεται cum Maximi Planudis grammatica (Bachmann anecdota graeca II 34-37) consentientem: cuiusmodi observationes, quae procul dubio in Herodiano illorum praeceptorum auctore nituntur omnes, posterioribus communes fuisse Theodori Gazae grammatica documento est, quae p. 338 (edit. Basil.) simillima continet.

De extremo prioris libri capite[45]), quod περὶ στιγμῆς inscriptum est, et de particula quae paulo post insequitur: ‚Διὰ τί η' αἱ στιγμαί' vel secundum Venetum ‚αἰτία δι' ἣν οὔτε πλείους οὔτε ἐλάττους αἱ στιγμαί εἰσι' eo brevius agere licebit, quo accuratius pleraque virorum doctorum studiis iam explanata sunt. Nam et Ludovicus Friedlaender in libro de Nicanore conscripto multa de ea re praeoccupavit et K. E. A. Schmidt[46]) sagaciter, ut solet, peculiari libri sui capite cum de universa hac doctrina a grammaticis per saecula propagata tum de Nicanore, a quo potissimum eam adauctam esse scimus, ita egit, ut de auctoritate a Friedlaendero illi tributa aliquid detraxerit. Nicanor enim cum non modo tribus veterum signis singula sententiarum membra distingui sed etiam varias nectendi discernendique rationes indicari vellet octoque signis positis novi inventi periculum in carminibus Homericis faceret: ea doctrina quae speciosior erat quam quae in communem usum reciperetur, adeo videtur innotuisse ut recentiorum commentationes eius nomine adornarentur: velut fragmentum (Bachmann anecdot. graec. II 316)[47]) quod incipit: Στιγμαί εἰσιν η' κατὰ Νικάνορα in ipsa fronte originem ostendit. Quo ab exordio si recesseris, et ipsum fragmentum et alterum caput apud Walzium (rhet. graec. III 564 s.) cum nostra epitoma maxime consentit, ita tamen ut ex utroque ad nostram recte aestimandam maximum commodum redundet: velut quod in ea ὑποτελείας signi parum rationis habitum est, id ceteris collatis mera librarii neglegentia explicandum esse puto, qui a vocibus μερικῆς ἐννοίας οὐκ ἐντελοῦς δὲ τὴν λέξιν (v. 10 Bachm.) ad verba (v. 13) μερικῆς ἐννοίας ἐντελοῦς τὴν λέξιν oculis aberrantibus ea videtur omisisse, quae p. 42 extr. hunc in modum inserenda esse censeo: ἡ ἀποκαταστατικὸν [μερικῆς ἐννοίας, οὐκ ἐντελοῦς δὲ τὴν λέξιν, καὶ ποιεῖ ὑποτε-

---

[45]) Septimum hoc caput ab ipso illo qui epitomam confecit appellatum esse ostendit liber Venetus, in quo κεφάλαιον ἕβδομον adscriptum est. [46]) p. 506 ss. quem sequitur Steinthal p. 693 ss. [47]) cf. Friedlaender l. c. p. 102-104.

λείαν ὡς τό· Χριστὸς ἐκ παρθένου. προσυπακούεται γὰρ ἄνωθεν τὸ γεννᾶται· ἢ συμπληρωτικὸν] μὲν μερικῆς ἐννοίας, ἐντελοῦς τὴν λέξιν.

Haec fere habui quae de priore epitomae parte dissererem: qua disputatione id saltem effectum esse confido, ut quo vinculo epitoma cum Dionysii grammatica coniuncta, quibus praeterea fontibus ad illam illustrandam suaeque aetati adaptandam auctor eius usus sit, iam rectius possit intellegi.

De epitomae parte altera.

Alterius vero partis quam adhuc ineditam solo codice Veneto contineri diximus (p. 11) cum totum librum typis exprimere his angustis scribendi finibus prohibeamur, donec eius copia facta erit, hanc saltem speciem ac velut imaginem adumbrare in animo est. Ac praetermisso titulo, quem alteri libro praefixum supra exhibui, singula capita hunc in modum inscripta sunt:

capitum tabula.

fol. 89ʳ κεφάλαιον πρῶτον. περὶ τῶν η' τοῦ λόγου μερῶν καὶ διὰ τί η' καὶ οὔτε πλείω οὔτε ἐλάττω.
fol. 89ᵛ κεφ. δεύτερον. διὰ τί οὕτω τὰ μέρη τοῦ λόγου κατείλεκται.
fol. 91ʳ κεφ. τρίτον περὶ γενῶν.
ibid. [κεφ. τέταρτον][48] περὶ εἴδους.
fol. 96ᵛ κεφ. πέμπτον περὶ τῶν τοῦ παραγώγου εἰδῶν.
fol. 99ʳ περὶ σχημάτων κεφ. ἕκτον.
fol. 99ᵛ extr. κεφ. ἕβδομον περὶ ἀριθμῶν πτώσεων καὶ ἐγκλίσεων.
fol. 100ᵛ κεφ. ὄγδοον[49] περὶ προσώπων.
fol. 101ʳ extr. περὶ εὐθειῶν οὐδετέρων ἢ μετοχῶν ἢ ὀνομάτων τῶν ἀντὶ γενικῆς ἀττικῶς εἰλημμένων. κεφ. θον.[50]
fol. 103ʳ extr. κεφ. δέκατον περὶ συζυγιῶν.
fol. 104ᵛ κεφ. ἐνδέκατον περὶ κοινῶν καὶ ἰδίων παρεπομένων τοῖς μέρεσι τοῦ λόγου.

Qua ex tabula capitum, quamvis non una ex parte manca sit, hoc quidem patet: alterum quoque epitomae librum ex Dionysii grammatica pendere, ita quidem ut potissimum in paragrapho 14ᵃ quae περὶ ὀνόματος inscribitur explicanda versetur, reliquae orationis partes brevius subiciantur, quasi inter commentandi studium patientia auctorem defecerit: tota vero dissertatio tot et tam variis explicationibus aliunde petitis referta ac quasi contexta est, ut studiorum grammaticorum condicio atque ambitus qualis epitomae aetate fuerit, multis partibus inde illustrare possimus.

---

[48]) capitis nota omissa est. [49]) codex: perperam αον pro ηον. [50]) inest praeterea temporum doctrina.

Incipit autem caput primum: Ἕκαστον τῶν η' τοῦ λόγου μερῶν κατὰ συνθήκην [D] ἐφεύρηται καὶ ἢ οὐσίαν σημαίνει ἢ τὴν ἐν αὐτῇ διάθεσιν. καὶ εἰ σημαίνει οὐσίαν, ἢ μετὰ ποιότητος σημαίνει ἢ χωρὶς ποιότητος. καὶ εἰ μὲν χωρὶς ποιότητος, ἔχομεν ἓν μέρος λόγου ὃ λέγεται ἀντωνυμία. ἔστι δὲ ἀντωνυμία λέξις ἀντὶ ὀνόματος παραλαμβανομένη προσώπων ὡρισμένων δηλωτική. οὐχ ὡς δοκεῖ δή τισιν ἀληθὲς τὸ τὴν ἀντωνυμίαν σὺν τῇ οὐσίᾳ καὶ ποιότητα δηλοῦν. [ἀπόδειξις ἀντωνυμίας ἄλλη τοῦ ὀνόματος.] Τὰ μὲν γὰρ ὀνόματα σημαίνει οὐσίαν καὶ ποιότητα διὰ τῆς φωνῆς, ἡ δὲ ὅσον κατὰ φωνὴν μόνον οὐσίαν σημαίνει, εἰ (ἢ?) καὶ φανεροῦται ἡ ποιότης διὰ τῆς δείξεως· ἐπεὶ πᾶσα ἀντωνυμία ἢ δεικτική ἐστιν ἢ ἀναφορική. ἔτι εἰσὶν ὀνόματα οὐσίαν σημαίνοντα καὶ ποιότητα καὶ τὰς λοιπὰς τῶν κατηγοριῶν, ἀντωνυμίαν δὲ οὐδὲ μίαν ἔχομεν σημαίνουσαν τὸ τῶν ἄλλων κατηγοριῶν πλὴν οὐσίας· ὥστε εἰ μὲν χωρὶς ποιότητος ἔχομεν τὴν ἀντωνυμίαν, εἰ δὲ οὐσίαν μετὰ ποιότητος ἔχομεν τὸ ὄνομα. εἰ δ' αὖ πάλιν ἡ φωνὴ σημαίνει οὐσίας διάθεσιν ἢ ἐνέργειαν σώματος ἢ ψυχῆς διάθεσιν ἄνευ πτώσεως κεχωρισμένης, ἔχομεν τὸ ῥῆμα. ἢ σημαίνει οὐσίαν καὶ διάθεσιν κατὰ ταὐτὸ καὶ ποιεῖ τὴν μετοχήν· ἢ σημαίνει ἀναφοράν τινα προεγνωσμένου πράγματος συναρτώμενον μόνον τοῖς πτωτικοῖς καὶ ποιεῖ ἄρθρον. καὶ ἄρθρον μέν ἐστι μέρος λόγου πτωτικὸν προτασσόμενον τῆς κλίσεως ὀνομάτων καὶ ὑποτασσόμενον· ὄνομα δὲ μέρος λόγου πτωτικὸν σῶμα ἢ πρᾶγμα σημαῖνον κοινῶς τε καὶ ἰδίως λεγόμενον· καὶ σῶμα μέν ἐστι τὸ τριχῇ διαστατόν· μῆκος πλάτος βάθος· πρᾶγμα δὲ ὃ μόνῳ νῷ καὶ διανοίᾳ νοεῖται θεωρητικῶς λαμβανόμενον. ὡς ‚λόγος', ‚εὐσέβεια'. ἔτι ῥῆμά ἐστι μέρος λόγου ἄπτωτον ἐν ἰδίοις μετασχηματισμοῖς διαφόρους χρόνους δηλοῦν μετ' ἐνεργείας ἢ πάθους ἢ οὐδετέρου, ἔτι προσώπων σημαντικόν, ὅτε καὶ ψυχῆς διαθέσεις δηλοῖ. αὐτόθεν τὸ τῆς ἰδιότητος τούτων, λέγω ὀνόματα καὶ ῥήματα, μετασχὸν μετοχὴ ὠνόμασται. ἔτι ἢ δηλοῖ τὰς προσωπικὰς καὶ κτητικὰς σχέσεις, ἀποπληροῦσα τὴν ἔλλειψιν τῶν ἀπολελειμμένων ῥημάτων καὶ ποιεῖ τὰς προθέσεις· πρόθεσις δ' ἐστὶ λέξις προτιθεμένη πάντων τῶν τοῦ λόγου μερῶν ἔν τε συνθέσει καὶ συντάξει. ἢ διορίζει τὴν σημασίαν τοῦ ῥήματος· καὶ οὕτως ἔχομεν τὸ ἐπίρρημα· ἔστι γὰρ ἐπίρρημα μέρος λόγου ἄκλιτον κατὰ ῥήματος λεγόμενον ἢ ἐπιλεγόμενον ῥήματι· καὶ διὰ τῆς προθέσεως αὐτῶν διορίζονται τὰ ῥήματα ἀδιόριστα ὄντα τῇ οἰκείᾳ φωνῇ, ἀφ' οὗ καὶ τὸ ὄνομα εἴληχεν. ἢ συνδεῖ καὶ συμπλέκει κατὰ σύνταξιν τὰ μέρη τοῦ λόγου, καὶ οὕτως ἔφυ ὁ σύνδεσμος. Οὐκ ἐκ τοῦ παρήκοντος ἄρα, φυσικῇ δέ τινι ἀνάγκῃ η' τὰ μέρη τοῦ λόγου καὶ οὔτε πλείω οὔτ' ἐλάττω. Τούτων δὲ τὰ μὲν ἀπαιτοῦσι καὶ [οὐκ] ἀπαιτοῦνται, τὰ δὲ ἀπαιτοῦνται καὶ οὐκ ἀπαιτοῦσι· τὰ δὲ οὔτε ἀπαιτοῦσιν οὔτε ἀπαιτοῦνται, τὰ δὲ καὶ ἀπαιτοῦσι καὶ ἀπαιτοῦνται.

Quod caput exempli instar ideo totum apposui, unde appareret, quomodo is

---

V. 5. cod. πρόσωπον ὡρισμένον, sed Dionysii grammatica 640, 15, unde definitio sumpta est, recte: Ἀντωνυμία δέ ἐστι λέξις ἀντὶ ὀνόματος παραλαμβανομένη προσώπων ὡρισμένων δηλωτική. 6. s. simillim. Apollonius de pronom. p. 33 B. 8. πᾶσα ἀντωνυμία e. q. s. ib. p. 10 B. || 15. καὶ ἄρθρον μέν ἐστι μέρος λόγου ... = Dionys. gramm. 640, 3-4. || 16. ὄνομα δὲ = ib. 634, 11 s. || 17. καὶ σῶμα μέν ἐστι .... = schol. Dionys. 845, 11 s. || 19. ἔτι ῥῆμά ἐστιν .. cf. *Apollonium Dyscolum* in Dion. schol. 882, 21. || 21. αὐτόθεν τὸ τῆς ἰδιότητος ... cf. Dionys. gramm. §. 19. || 24. πρόθεσις .. Dionys. 641, 14. || 25. ἔστι γὰρ ἐπίρρημα μέρος λόγου ... ib. 641, 23.

qui epitomam confecit a Dionysii grammatica tamquam fundamento suo profectus et supplendi et emendandi studio aliorum praecepta immiscuerit ac conexuerit. cum enim Dionysius octo orationis partes ita definivisset, ut enumeraret externas quasdam notas, quales sunt in flexione, in collocatione verborum, similibus, in interiores causas, unde diversarum partium origo ac natura explicaretur, non amplius inquisivisset, primus Apollonius Dyscolus, grammaticus ille philosophis simillimus et a Stoicorum praeceptis haud alienus, singulas orationis partes ad certas stabilesque rationes revocare studuit; quamquam peculiarem *nominis* definitionem, quam in eis qui adhuc extant libris frustra quaeras, ex duobus tantum locis libelli de pronomine conscripti petere licet:[51]) οὐσίαν σημαίνουσιν αἱ ἀντωνυμίαι — inquit p. 33 B — τὰ δὲ ὀνόματα οὐσίαν μετὰ ποιότητος collatis eis quae praecedunt p. 31 A οὐσίας γὰρ αὕτη (ἡ ἀντωνυμία) μόνον παραστατική et p. 32 B αἱ δὲ ἀντωνυμίαι οὐδενὸς τούτων παραστατικαί, μόνον δὲ οὐσίας. quibus si ea quae p. 10 B leguntur: πᾶσα ἀντωνυμία ἢ δεικτική ἐστιν ἢ ἀναφορική adiunxeris, iam dubitari nequit quin locus (v. 6 ss.) maioribus typis exaratus ex Apollonii doctrina pendeat. nec mirum quod in hac ipsa qua de orationis partibus agitur commentatione quasi disiecti eius membra inveniantur, quippe qui auctoritate apud grammaticos plurimum valuerit: illustris sane vir, qui nisi maioris filii gloria obstitisset, primaria laude dignus esset visus: is igitur cum in aliis scriptis nunc deperditis tum in libro de constructione verborum composito de hac grammaticae parte diligenter egit: sed de his postea agetur accuratius. Nec vero in reliquis explicationibus e Dionysio petitis diutius moraremur, nisi in *verbi* explicatione aliqua superesset difficultas, quae iam veterum acumen admodum exercuisse videtur: quibus definitio (Dionys. §. 15 initio) Ῥῆμά ἐστι λέξις ἄπτωτος ἐπιδεκτικὴ χρόνων τε καὶ προσώπων καὶ ἀριθμῶν ἐνέργειαν ἢ πάθος παριστῶσα adeo non placuit, ut alii — velut commentator (882, 5) — ceteris probatis in hoc uno eum reprehenderent, quod modi infiniti rationem non haberet, alii in quibus Apollonius, si schol. 672, 21 s. margini subiecto fides sit, totam falso grammaticae ab eis insertam esse contenderent, qui nominis similitudine decepti Dionysium Pesi filium cum altero confunderent: Thracis enim hanc potius esse: ῥῆμά ἐστι λέξις κατηγόρημα σημαίνουσα[52]). Apollonius vero in *Rhematico* occasione oblata et hanc definitionem refellisse et alteram subtilius excogitatam de suo addidisse putandus est: quae et ipsa schol. 882, 21 tradita: ῥῆμά ἐστι μέρος λόγου ἐν ἰδίοις μετασχηματισμοῖς διαφόρων χρόνων δεκτικὸν μετ' ἐνεργείας ἢ πάθους προσώπων τε καὶ ἀριθμῶν παραστατικόν, ὅτε καὶ τὰς τῆς ψυχῆς διαθέσεις δηλοῖ cum et modum infinitum respiceret et omnino altius penetraret, veteribus maxime videtur probata fuisse[53]), ideoque eam noster quoque inter definitiones reliquas e Dionysio sumptas solam recepit.

[51]) K. E. A. Schmidt p. 232, Steinthal p. 665. [52]) quod Steinthalio p. 625 auctore Stoicorum est praeceptum. [53]) cf. tamen iniquum Steinthalii p. 625 s. iudicium.

In altero capite, quo de orationis partium ordine et affinitate agitur, Apollonio Dyscolo duce iterum nos usuros esse iam supra indicavimus: qui initio libri de verborum constructione conscripti de hac ipsa grammaticae parte, qua non aptius disciplinae suae fundamentum reperire posset, sollerter disputavit: nam verborum natura atque indole recte perpensa, quomodo in enuntiatis ea collocanda et inter se nectenda essent, facile apparere putabat: sed rem altius petens non modo verborum verum etiam elementorum, unde composita essent, syllabarum litterarum ordinem perscrutari studebat, et dum a simplicioribus ad difficiliora progreditur, et in his et in illis aequabilem quendam ordinem similesque rationes cognoscere sibi videbatur. Neque omnino peculiaris grammaticorum diligentia praetermittenda est, qua tantam copiam lingua oblatam nimio interdum studio dispensantes distribuentes ad certas normas revocantes erroribus implicabantur, quos primae illi artis grammaticae aetati facile condones, hodie vix intellegas. Eandem igitur κατὰ τὸ δέον σύνταξιν quam in coniungendis litteris syllabis grammatici invenerint, in enuntiatis quae ex illis elementis constent valere ratus Apollonius primum[54]) communes utrisque affectiones esse demonstrat: (cap. 2) velut *diplasiasmum* et in litteris et in verbis inveniri; quam in verbis scripturam vitiosam vocaveris, eum soloecismum esse in sententiis, id genus alia — deinde (cap. 3) sicut litterae in vocales ac consonas dividantur, ita vocabula alia ῥητὰ vocalibus similia, consonis alia συσσημαίνοντα posse appellari, denique ut XXIV litterae certo sese excipiant ordine, ita ne orationis quidem partium ordinem fortuitum esse. Quo simul ac rem perduxit, nomen priorem, verbum alterum locum obtinere, qua de re dissensionem aliquam inter viros doctos fuisse consentaneum est[55]), quaque inter se necessitudine coniuncta sint, his verbis exponit: (p. 12, 13) καὶ τοῦ ῥήματος δὲ ἀναγκαίως πρόκειται τὸ ὄνομα, ἐπεὶ τὸ διατιθέναι καὶ τὸ διατίθεσθαι σώματος ἴδιον, τοῖς δὲ σώμασιν ἐπίκειται ἡ θέσις τῶν ὀνομάτων ἐξ ὧν ἡ ἰδιότης τοῦ ῥήματος, λέγω τὴν ἐνέργειαν καὶ τὸ πάθος. e. q. s. deinde postquam participio — non pronomini, quamvis nominis vice fungatur — tertium locum attribuendum esse probabili ratione ostendit, de reliquis orationis partibus consueto ordine se excipientibus breviter agit (-18,21).

Quo exordio, — ut supra exposui, ubi de Herodiani apud recentiores grammaticos auctoritate egi — imitationem cum omnino tum in ipsa arte grammatica quam latissime patere luculento exemplo confirmatur, quippe quod Byzantinis hominibus adeo videatur probatum fuisse, ut ab eis proprio marte adauctum scholarum in usum adhiberetur. Quo in numero Maximi Planudis librum qui inscribitur: περὶ συντάξεως primum appellaverim, cuius doctrinam cum illius aetatis memoria arcte coniunctam, quantum quidem ad nostram quaestionem per-

---

[54]) cf. L. Lange das system der syntax des Apollonios Dyscolos. Gottingae 1852 p. 4 ss., Steinthal. p. 585 ss. [55]) cf. tamen Steinthal. p. 591.

tinet, paucis attingere liceat: is igitur, monachus Byzantinus[56]), quem, cum neque quando natus nec quando mortuus sit satis liqueat, anno p. Chr. n. 1327 ab Andronico II Augusto cui carus erat oratorem ad Venetos missum esse audimus, inter suae aetatis homines infinitae sapientiae fama floruisse putandus est ac versatum eum fuisse in omni litterarum genere librorum, quos composuit, index confirmat: nam praeterquam quod in scriptoribus sacris operam collocavit et libros physicos et arithmeticos commentariis instruxit, — quae singula persequi ab hoc loco alienum est — in rhetorica studia incubuit, cum et difficillimas quaestiones proposuisse ac mira felicitate dissolvisse tradatur et orationes conscriberet: sollers idem epigrammatum editor Romanorumque auctorum interpres: denique plurimorum librorum qui ad grammaticam pertinent auctor diligentissimus. Quodsi tamen ea scripta quae, etiamnunc permultis in bibliothecarum scriniis latentibus, Bachmanni curis nuper eruta sunt, nominis famae qua inter aequales excellebat parum respondere videantur, id nescio an aetati potissimum crimini sit vertendum, quae ingenii luminibus minus faverit, cum in summis Maximi laudibus haec saltem remaneat, quod inter infimae aetatis scriptores puro atque eleganti dicendi genere usus est, sententiis aptus atque ornatus, idem in particulis adhibendis cautissimus, si non ingenii attamen sermonis graeci ultimus custos. Eius igitur libellum περὶ συντάξεως (Bachm. anecd. II 105) qui obiter cum Apollonio comparaverit, etiamsi mentionem huius prima statim fronte obviam factam praetermiserit, talem similitudinem inter utrumque intercedere non negaverit, qualis solet esse inter auctorem et imitatorem: nam et de orationis partibus eodem quo ille ordine procedit Maximi disputatio et deinde (119, 11) ea ipsa continuatur quaestione ab Apollonio quoque instituta (18, 22), cur interrogativa ad duas tantum orationis partes nomen aut verbum pertineant[57]). Ad Maximum vero proxime accedit Theodosii quae vocatur grammatica sed ita ut malae epitomae similior sit: huius libri initium, quo de XXIV litterarum ordine agitur, altera περὶ ὀνόματος dissertatione excipitur, quae Maximo hunc in modum respondet:

Max. Plan. 113, 7-19	= Theodos.	18, 8-20	
116, 9-23	„ „	18, 21-19,2	v. 24 inest lacuna
117, 3-16	„ „	19, 3-19,15	
118, 15-126,2	= „	19, 15-27,7	

Quodsi tertio loco epitomae nostrae caput alterum propter argumenti verborumque similitudinem affero, quaerendum est, cuiusmodi necessitudine duo illa scripta — nam Theodosium non numero — inter se coniuncta sint. In quo si

[56]) Fabric. biblioth. IV 429, IX 682, 685 not. g. — Bachmann anecd. II 429. — Eundem esse Maximum Planudem atque Manuelem Holobolum scholiastam adnotavit Valentinus Rose in editione Anacreonteorum (Lipsiae 1868) pag. XIV. [57]) quae item invenitur in Philemonis et Phavorini lexicis.

quis putet epitomam ita cum Planudis grammatica coniunctam esse, ut altera ex altera hauserit, id statim denegaverim: nam Planudes cum omnino ab Apollonianae locutionis similitudine longius recedit quam epitoma, tum manifestum aliquem sive errorem dixeris sive opinionis discrepantiam admisit, cuius is qui epitomam confecit expers est: in ea scilicet parte qua de nominis principatu agit (113, 19) praeter expectationem sic pergit: ἐπεκράτησε μέντοι συνήθεια ὡς τῇ ὀνομασίᾳ τούτου τουτέστι τοῦ ῥήματος καὶ τὰ ἄλλα τοῦ λόγου μέρη καλεῖσθαι ῥήματα: quae tamen sententia, si argumentum et contextum cum praecedentibus sequentibusque respicias, tota ex Apollonio pendet: (12, 23) κατεκράτησεν οὖν καὶ ἡ ἀπ' αὐτοῦ θέσις τὸ πάντα τὰ τοῦ λόγου μέρη καλεῖσθαι ὀνόματα ὡς ἂν αὐτοῦ προϋφεστῶτος: eumque locum noster ad verbum fere exscripsit: τοῦ τοίνυν ὀνόματος προϋφεστῶτος κατεκράτησεν οὕτω καὶ τἆλλα μέρη τοῦ λόγου καλεῖσθαι. Totum vero caput ita institutum est, ut Apollonii disputationis de orationis partibus conscriptae tamquam perpetuo commentario fungatur, non aeque ingenii luminibus ac verborum copia conspicuum, ita ut praeceptis ex Apollonio descriptis immisceantur controversiae, quae ἀντιθέσεις et λύσεις vocantur, et omnis generis adnotationes, quales communis supellex aetatis illius ad excerpendum praecipue promptae praebebat. cuiusmodi sunt τὸ ἓν quadruplex esse ἢ τῷ ἀριθμῷ ἢ τῷ εἴδει ἢ τῷ γένει ἢ τῇ ἀναλογίᾳ vel Herodiani definitio (Lentz I 551, 5—8) ['Εγ]κλιτικὸν δ' ἐστὶ μόριον ὃ τὴν ἰδίαν κοιμίζον ὀξεῖαν τὴν προκειμένην βαρεῖαν μεθίστησιν εἰς ὀξεῖαν.

Duo quae secuntur capita eodem quo in Dionysii grammatica ordine sese excipere vix esset quod commemorarem, nisi de hac ipsa re disceptationem aliquam inter grammaticos fuisse e Choerobosco (Gaisford 7, 10 s.) disceremus, cum Apollonius Herodianus Romanus et qui ab eorum partibus starent, contrarium ordinem statui vellent[58]). Nec vero praeterea in tertio capite quidquam inest quin ex Dionysio eiusque scholiis sumptum sit: nam cum κοινὰ et ἐπίκοινα distinguuntur[59]) tum doctrina illa subtilius excogitata qua de nominibus agitur quae κοινῶς ἰδίως κοινότατα ἰδιαίτατα proferantur, ad verbum fere scholio Dionys. 845, 19-29 respondet[60]), ita tamen ut (28) verbis: ἰδιαίτατα δὲ ὡς τὰ ὀνόματα τῶν ὀνομάτων ne post Steinthalii quidem explicationem[61]) satis expeditis epitoma levem emendationem afferat: ὡς τὰ ὁμώνυμα τῶν ὀνομάτων. significantur autem nomina propria pluribus communia, velut Aiax Apollodorus Dionysius alia.

Iam vero ad quartum περὶ εἰδῶν caput, quo nullum copiosius in epitoma tractatum est, progrediendum est: cuius exordium hoc est:

Μετὰ τὸ γένος κείσθω τὸ εἶδος, εἰ καὶ πρότερον τετάχθαι ἔδει· ἔστι δὲ εἶδος φωνῆς εἰκὼν τὴν ἐν αὐτῷ δηλοῦσα πρώτην ἢ δευτέραν θέσιν. Δύο τοίνυν αὐτοῦ εἴδη τό τε πρωτότυπον καὶ παράγωγον, πρωτότυπον μὲν τὸ πρωτόθετον ὑπάρχον καὶ μὴ ἔχον τινὰ προκάταρξιν ἢ αἰτίαν

58) K. E. A. Schmidt p. 234. eorumque memor epitoma: προτέτακται δὲ ὅμως κατὰ φιλοσόφους κἀνταῦθα τὸ γένος et cap. IV initio: μετὰ τὸ γένος κείσθω τὸ εἶδος εἰ καὶ πρότερον τετάχθαι ἔδει. 59) Lobeck path. prol. p. 23. 60) nec schol. 863, 23 praetermittendum. 61) l. c. p. 601.

τῆς ἑαυτοῦ γενέσεως, οἷον παῖς, οὕτω δὲ ἐκλήθη (ὑπὸ) τῶν παλαιῶν ἐκ κοιλάνσεως καὶ ξυσμοῦ τοὺς τύπους ποιούντων. Τύπος γὰρ ὁ κατ' εἰσοχὴν καὶ ἐξοχὴν γενόμενος χαρακτήρ· ἐν γὰρ λίθοις πρότερον τὰ τῶν πραγμάτων πρωτόθετα ὀνόματα ἐνεχάραττον, εἰκότως δὲ τὸ πρότερον τεθὲν καὶ ἐγχαραχθὲν τοῖς πράγμασιν ὄνομα πρωτότυπον λέγεται. Τοῦτο δὲ διχῶς· οὗ τῆς γενέσεως οὐδὲν προκατῆρξεν, ὡς τὸ πᾶς, καὶ ὃ παρῆκται μὲν ἀπό τινος, ἐγένετο δὲ ἑτέρου ἀρχή· ὡς γῆ, ἀφ' ἧς γήϊνος. Καὶ τοῦτο δὲ παράγωγον, τὸ ἀπό τινος παρηγμένον· ἀλλ' εἴδη μὲν πρωτοτύπων ἄπειρα· ὧν οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη, παραγώγων δὲ εἴδη ἑπτά, ἃ καὶ λελέξεται. Διχῇ δὲ τοῦ εἴδους λεγομένου τὸ μὲν περὶ φωνὴν ἐπιδιῄρηται αὖθις εἰς πρωτότυπον καὶ παράγωγον, τὸ δὲ εἰς ἑπτὰ μεμέρισται . . . . τὸ δὲ περὶ σημασίαν εἰς κύριον καὶ προσηγορικὸν διῃρέθη ἅπερ ἀπογεννῶσι τό τε ἐπίθετον, πρός τι ἔχον καὶ τὰ ἑξῆς· ἔστι δὲ γνώρισμα ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ. Ἔστι δὴ κύριον e. q. s.

εἴδη κατὰ φωνήν, κατὰ σημασίαν.

Cum igitur Dionysius et is qui epitomam confecit in eo consentiant, quod duas uterque rationes agnoscit, quibus tanta nominum copia ad certas normas redigenda sit, alteram ab externa vocabuli indole ac natura petitam qualis in terminationibus et similibus invenitur eamque κατὰ φωνὴν appellatam, alteram κατὰ σημασίαν ex nominum significatione sumptam, in hoc differunt, quod cum in Dionysii grammatica primum de nominibus κατὰ φωνὴν deinde spatio interiecto de altera κατὰ σημασίαν serie post σχήματα ἀριθμοὺς πτώσεις parum apto loco agatur, noster prorsus inverso ordine utitur. Quam dissensionem ne fortuitam esse opineris, impedit similitudo, quae in disponendis partibus inter Theodori Gazae grammaticam et nostram intercedit. Cuius quidem condicio ea est ut multis partibus dilucidam imaginem repraesentet doctrinae grammaticae, qualis tunc fuerit, cum litterae post medii aevi tenebras nova quadam luce effulgescebant. Is enim cum Thessalonica, ubi natus erat, anno 1430 profugus admodum iuvenis Mantuam venisset ibique a Victorino Feltrensi linguam latinam didicisset, mox tantam doctrinae famam assecutus est, ut et Romae Neapolique principum hominum consuetudine uteretur et utriusque linguae peritus haud spernendus auctor litterarum extiterit, quae tum primum ex diuturna oblivione excitabantur. Eius igitur in grammatica p. 521[62]) duplici nominum distribuendorum fundamento plane ac diserte constituto pariter atque in epitoma, propria appellativa adiectiva reliqua quae secundum significationem divisa sunt priore loco enumerantur, eisque p. 539 ss. nomina κατὰ φωνὴν divisa succedunt. Sed quid haec ad Dionysium? Ipso hoc grammaticarum duarum consensu confirmari censeo iam Byzantinis hominibus suspectum fuisse eum ordinem, quo κατὰ σημασίαν quas vocabant species inepto loco sub paragraphi 14ae finem post πτώσεις secuntur: quam suspitionem immemor illorum Steinthal (p. 607 ss.) nuper renovavit, qui in altera illa divisione, quam postea interpolatam esse putat, manifesta peripateticae originis vestigia deprehendisse sibi visus est.

---

7. τοῦτο δὲ διχῶς . . . cf. *Porphyrium* 847, 26 ss. — 10. ἄπειρα cf. 848, 17.

62) Γραμματικῆς εἰσαγωγῆς libro IV° editionis Basileae MDXLV impressae. cf. p. 13, 29, 105. K. E. A. Schmidt p. 237 s.

Iam vero ex singulis epitomae explicationibus quae ad Dionysii eiusque scholiorum similitudinem plerumque proxime accedunt, eligam has:

Ἔστι δὴ κύριον[63]) τὸ ἐπὶ ἀτόμων λεγόμενον οἷον Σωκράτης Πλάτων, ὡς τοῦ κοινοῦ τῆς οὐσίας χωρίζον καὶ σημαῖνον τὸ ἄτομον. Προσηγορία[64]) δὲ τὸ κοινὴν οὐσίαν σημαῖνον ὡς ἵππος. Ἐπίθετον[65]) δὲ τὸ ἐκ κυρίων ἢ προσηγορικῶν δυνάμενον λέγεσθαι ἀλλ' οὐ χωρίς· οἷον ἀνδρεῖος ταχύς. Εἴληπται δὲ τὰ ἐπίθετα τριχῶς· ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν τῆς ψυχῆς ἢ τῶν συμβεβηκότων αὐτῇ· ὡς σώφρων ἀκόλαστος θεωρητικός· καὶ ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν τοῦ σώματος ἢ τῶν συμβεβηκότων αὐτῇ· οἷον μέλας πύκτης, καὶ ἀπὸ τῶν ἐκτός, οἷον πλούσιος πένης· διὸ καὶ ἐπίθετον καλεῖται ὡς ἐπιτιθέμενον οἷς εἴπομεν, καὶ τρίτον τῇ θέσει τέτακται[66]).

Τί διαφέρει ἐπίθετον κυρίου καὶ προσηγορικοῦ; Ἐγκωμίου δὲ χάριν ἢ ψόγου λαμβάνεται τὰ ἐπίθετα[67]), διαφέρει οὖν τὰ προσηγορικὰ ὅτι τὸ μὲν αὐτοτελές· οἷον ἄνθρωπος· τὸ δὲ τῆς τοῦ ἑτέρου δεόμενον ἐπαγωγῆς[68]) ὡς ἀγαθός. Ὅσα δὲ τῶν ἐπιθέτων τὴν αἰτίαν ἐξ ἡμῶν ἔχει λέγεσθαι, ταῦτα ἐπαίνου ἢ ψόγου σημαντικά. τὰ δὲ μὴ οὕτως ἔχοντα μέσα· ὡς πένης ὑγιὴς λελωβημένος. ταῦτα δὲ ἀπὸ τῶν ἐκτός ἐστιν ὡς ἐκ τύχης[69]) συμβαίνοντα, ἃ μήτ' ἔπαινον ἔχει μήτε ψόγον· οὐ γὰρ ἐπαινοῦμεν τὸν ὑγιᾶ ἀλλὰ τῆς εὐτυχίας οἰκτείρομεν (?) κ. τ. λ.

Post hanc adiectivorum definitionem observationes varii generis insertae sunt, quibus exponitur, quando cum articulo, quando sine articulo adiectiva proferantur, ubi appellativi genetivo apposito in genere neutro ponantur, adiectivorum tertiae declinationis accusativum numquam in ν efferri, quam litteram nomina propria interdum accipiant (Δημοσθένη-ν), quando adiectiva unius, quando trium generum sint; quae observationes ad unam omnes simillime sed aliquanto correctius scriptae deinceps occurrunt in Maximi Planudis, quem diximus, de grammaticae dialogo II 31,25—34,19 Bachm. hunc tamen ne a nostro exscriptum esse putemus, et eis ipsis prohibemur quae supra p. 26 s. de utriusque similitudine commemoravimus et quod in Philemonis quoque λεξικὸν τεχνολογικὸν s. v. Δημοσθένη et Ἐπίθετον ὄνομα particulae nonnullae similes receptae sunt. Id autem lexicon duobus saltem saeculis ante Maximum conscriptum et uberrimis optimorum fontium copiis instructum est, quarum iacturam quodammodo hodie resarciat.

In definitionibus πρός τι ἔχον et ὡς πρός τι ἔχον notionum quas partim exhibebo cum multa Byzantinorum sedulitate adiecta esse appareat, nihilo tamen secius schol. 866, 22 vestigia servata sunt: qua in re feliciter accidit, quod locus ille scholiorum aliqua ex parte mutilus adnotatione p. 791, 26 ss. et epitoma nostra adsumptis hunc in modum sanari potest:

---

[63]) cf. Dionys. 636, 16. [64]) Dionys. ib. 17. [65]) ib. 18. [66]) schol. Dionys. 864, 5. [67]) schol. Dionys. 864,12. [68]) cf. *Stephanum* ib. 864', 28. [69]) pro ὡς ἐκ τύχης schol. Dionys. 865, 2 τῆς ψυχῆς.

epitomae fol. 92v. Πρός τι ἔχον ἐστὶν ὃ πρὸς ἕτερον ἔχει σχέσιν· καὶ αὐτὸ ὅπερ ἐστὶν ἑτέρου εἶναι λέγεται· πατρὸς γὰρ ἢ καὶ υἱοῦ λεγομένου συναιρεῖται θάτερον καὶ ἀναιρουμένου συναναιρεῖται. ἀνόητον δὲ καὶ ἄμφω ἐπάγειν, ὅπου γε μηδενὸς ἐπαγομένου ἢ τοῦ υἱὸς ἢ τοῦ πατήρ καὶ οὕτω τὸ οἰκεῖον ὁ λόγος σώζει· ἐπεὶ κτῆμα οὐκ ἔστιν ἀλλ' οὐδὲ δοῦλος ἢ φίλος· ὅτι μηδὲν οἰκειότερον πατρὶ ἢ παῖς· δοῦλον δ' ἂν ἢ φίλον οὐδέποτε νοήσαιμι.

schol. 866, 26: Διαφέρει τὸ πρός τι τοῦ ὡς πρός τι ἔχοντος ὅτι τὸ μὲν πρός τι ἔχον συνιστάμενον συνίστησι [καὶ ἀναιρούμενον ἀναιρεῖ τὸ ἕτερον. συνιστάμενος γὰρ ὁ πατὴρ] καὶ παρεισάγει τὸν υἱὸν καὶ πάλιν ἀναιρούμενος ὁ πατὴρ συναιρεῖ καὶ τὸν υἱόν.

Συντάσσεται δὲ γενικῇ, ἐκ περιουσίας καὶ δοτικῇ· τὸ μέντοι ἴκελος ἴσος ὅμοιος ἀτάλαντος δοτικῇ μόνῃ· τοῦτο γάρ ἐστι πρός τι ὃ πρὸς ἑτέραν σχέσιν νοεῖται· οἷον ὑποστελλομένου μηδ' αὐτὸ ὑπάρχειν ὡς ἐφ' ὧν εἰρήσεται (cod. εἴρηται) καὶ τῶν συγκριτικῶν.

Ac plurima quidem perspicua: verba autem (5): ἀνόητον δὲ καὶ ἄμφω ἐπάγειν . . .: *supervacaneum est utrumque nomen et patris et filii simul poni, cum utriusque mentione omissa tamen perfecta maneat sententia:* ad notissimam graeci sermonis licentiam pertinent, qua pater aut mater aut omnino affines mero nominis proprii genetivo ad alterum nomen apposito notantur, ipsa necessitudinis significatione omissa.

Quibus absolutis sic pergit epitoma:

Ὁμώνυμά ἐστιν ὧν ὄνομα μόνον κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος.

Συνώνυμα δὲ ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν καὶ ὁ λόγος τῆς οὐσίας αὐτός.

ὁμώνυμα. Atque in priore definitione non est quod haesitemus, nam et in exemplo quod postea adicitur a duobus Aiacibus sumpto cum Dionysio et in verbis fere cum reliquis consentit, quorum explicationes Lobeckius pathol. prolegom. p. 60 s. diligentissime collegit: neque a Crameri anecdotis Oxoniensibus I 424 differunt praecepta quae in epitoma secuntur, quibus homonymorum numero ea vocabula excluduntur, quae ceteris paribus aut spiritu aut accentu aut casu aut scriptura aut numero aut genere inter se discrepant aut denique ad diversas orationis partes pertinent: fol. 93r. Ἔτι ἐπὶ τῶν ὁμωνύμων εἰκὸς σώζεσθαι ἀπαράλλακτα μὴ μόνον κατὰ τὴν κατάληξιν ἀλλὰ καὶ κατὰ πνεῦμα· τὸ γὰρ οἶος ὁ μόνος καὶ τὸ οἷος τῆς ὁμωνυμίας χωρίζουσι τῶν πνευμάτων αἱ διαφοραί. κατὰ τόνον· τὸ γὰρ ἄργος καὶ ἀργὸς αὖθις οἱ τόνοι. κατὰ πτῶσιν· ὅτι τὸ ἐλάτης γενικὴ ἐπὶ δένδρου λαμβανόμενον καὶ εὐθεῖα ἐπὶ ἡνιόχου οὐχ ὁμώνυμα. Κατὰ γραφήν· ὡς τὸ καινὸν καὶ κενόν. κατὰ . . . (supple ἀριθμόν·) ὡς τὸ εἶπον ἑνικῶς ἀλλὰ καὶ πληθυντικῶς. Κατὰ γένος· ὡς τὸ φάρος· ἀρρενικῶς μὲν τὸ κτίσμα, θηλυκῶς δὲ τὴν πόλιν, οὐδετέρως δὲ τὸ ἱμάτιον· κατὰ μέρος λόγου ὡς ἔχεις ῥῆμά τε σημαῖνον καὶ γένος ὄφεων, ὡς δὲ καὶ ἅρμα καὶ Ἕλλησι δίφρον σημαῖνον, ῥωμαϊκῶς δὲ τὰ ὅπλα: quam ultimam speciem epimerismorum auctor apud Cramerum l. c. κατὰ συνήθειαν vocat.

συνώνυμα. Sed memorabilis est synonymorum quam supra exhibui definitio, quam ne librarii mendum aliquod latere suspiceris, Theodori Gazae cavet consensus: qui

vix uno verbo mutato τὰ ὁμώνυμα, inquit, ὧν ὄνομα μὲν κοινόν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας διάφορος. Καὶ τὰ συνώνυμα ὧν τό τε ὄνομα καὶ ὁ λόγος κοινόν. Quo magis autem definitionum discrepantia statuatur, quae inter Dionysium et epitomam intercedit, exempla a Dionysio inter synonyma allata: ἄορ ξίφος μάχαιρα σπάθη φάσγανον in. epitoma polyonymorum nomine continentur... εἰ δὲ πλειόνως πολυώνυμον ὡς ἄορ σπάθη φάσγανον. Atque eam quidem significationem Peripateticorum esse diserto scholiastae testimonio docemur: (868, 14) Συνώνυμόν ἐστι τὸ ἐν πλείοσιν ὀνόμασι μιᾷ οὐσίᾳ ὑποκείμενον οἷον μέροψ βροτὸς ἄνθρωπος ἅπερ οἱ Περιπατητικοὶ πολυώνυμα λέγουσιν, quocum scholia Nicand. Alex. 526 Ther. 512 consentiunt, ubi μόκης ἀμανίτης βωλίτης, fungorum diversae species, polyonymorum nomine comprehenduntur.

Sed philosophorum auctoritatem, quam supra iam deprehendimus, in hac grammaticae parte etiam latius patere ipsa synonymorum definitione demonstratur: quae, si grammaticae rationem spectas, nullo modo ferenda est: nam vocabula, quorum et nomen et ratio communia sint, — ita enim vertendum fere esse puto — distingui non posse apparet: at definitio est Aristotelea, in ipsa fronte libelli posita, qui κατηγορίαι inscriptus est. Ac vide quam imprudenter ne dicam inepte grammatici has philosophi explicationes a longe diversis rationibus profectas in Dionysii librum intruserint: nam Aristoteles dum grammaticam nihil curans in rerum naturam inquirit tres homonymorum synonymorum paronymorum definitiones libro praefixit, quibus res ipsas metiretur: hi discrimine quod inter res rerumque nomina intercedit prorsus neglecto, in vocabula quae rebus imponuntur eas transtulerunt et omnia perturbaverunt. nam verba quoque quae in epitoma secuntur non de synonymis, quae grammatici vocant, sed de Aristoteleis intellegenda sunt: Ἀναγκαίως δὲ τὰ κατὰ τοὔνομα συνώνυμα εὑρεθήσεται ὁμώνυμα καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων.[70]) κείσθωσαν γὰρ δύο Αἴαντες· ὁμώνυμοι τοίνυν, ἀλλὰ καὶ ὡς ἄνθρωποι ἄμφω συνώνυμοι. ἀλλὰ κατὰ τὸ Αἴας λόγος ζητεῖται· οὐκ εἰσὶ τοίνυν συνώνυμα· ὁ μὲν γὰρ Λοκρὸς Ὀϊλέως υἱὸς καὶ ταχὺς πόδας, ὁ δ' ἐκ Σαλαμῖνος Τελαμῶνος υἱὸς μονομαχήσας Ἕκτορι. *Duo Aiaces,* inquit, *homonymi, sed etiam utpote quidem homo uterque, synonymi: attamen fac utriusque Aiacis rationem quaeri: non amplius synonymi sunt.*

Sed ut haec mittamus, restat ut locus in Dionysii scholiis, qui ad ipsa philosophorum praecepta pertinet, cum ceteris quos exposuimus consocietur. Stephanus igitur polyonymorum explicatione praemissa ἅπερ οἱ Περιπατητικοὶ πολυώνυμα λέγουσιν sic pergit (868, 16): ὁμώνυμα δὲ τὰ τὸ αὐτὸ γένος ἔχοντα καὶ τὴν αὐτὴν οὐσίαν. τὸ ἄνθρωπος ἵππος ἔλαφος ὁμώνυμά φασιν, ἐπεὶ τὰ τρία κατ' ἀρρένων καὶ ζῴων ἐλέχθη. Quae verba plus uno modo claudicant: nam totam observationem si respexeris, post ea quae de polyonymi usu apud Peripateticos exposita sunt, (quod

---

[70]) ita fere verba codicis: ἀναγκαίως δὲ τὸ κατὰ τοὔνομα καὶ συνώνυμα εὑρεθήσεται καὶ τὰ συνώνυμα ὁμώνυμα καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων emendanda esse puto.

vocabulum in synonymi locum successit) non quid de homonymo, sed quid de ipso synonymi vocabulo illo senserint, audire velis: accedit quod de homonymo nulla disceptatio est, cum de synonymo dissensisse illos evicerimus. Quare si utroque loco pro ὁμώνυμα substitueris συνώνυμα, haud scio an definitio cum Aristotelea iam plane consentiat. neque enim exempla quae apposita sunt ἄνθρωπος ἵππος ἔλαφος distant ab Aristotelis: ἄνθρωπος βοῦς, et γένος vox de genere illo, cui species subsunt, dicta videtur, non de masculino feminino neutro, quo scholiasta errore circumductus eam rettulisse putandus est.

παρώνυμα. Paronymi definitio et ipsa ex Aristotelis libro sumpta haec est: Ἔτι παρώνυμον δ ἀπό τινος διαφέρον τῇ πτώσει τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει ὡς ἀπὸ ἀνδρείας ἀνδρεῖος. Non igitur idem haec paronymia sonat atque Dionysii 635, 17: Παρώνυμον δέ ἐστι τὸ παρ' ὄνομα ἢ ὡς ἐξ ὀνόματος ποιηθέν. sed etiam memorabilius est, quod paronymum a Dionysio inter εἴδη κατὰ φωνὴν relatum in epitoma inter εἴδη κατὰ σημασίαν insertum est. Cuius discrepantiae variae possunt cogitari causae: et Aristotelis de qua diximus auctoritas et ipsius paronymi incerta ac dubia condicio. Cum enim reliquae derivatorum species: patronymica deminutiva possessiva sua quaeque forma ac peculiari significatione utantur, huius classis ambitus tam late patet, ut similia dissimilia denique — ut ait Lobeck l. c. p. 56 — quidquid reliqui erat, quasi censum agentes in eam constipasse videantur grammatici. Ac cum quinque paronymi species quibus scholion ad Dionys. p. 858,1 propria nomina attribuit: περιεκτικὰ ἐθνικὰ μετουσιαστικὰ κύρια κατὰ τοῦ αὐτοῦ tantum non omnes ad alteram κατὰ σημασίαν seriem pertineant, dubium sane poterat esse an paronymum, quod illas amplectitur, eodem referendum esset. Epitomae tamen auctor, ne novam dum viam ingreditur a Dionysii vestigiis iusto longius recedere videretur, iterum inter species quae κατὰ φωνὴν vocantur paronymi memoriam his verbis renovavit: Ὁρισάμενοι τὸ παρώνυμον πρότερον αὖθις λέγομεν ὃ γραμματικῇ (i. e. Dionysio) δοκεῖ περὶ τοῦδε: sed quominus totum locum apponamus, qui e duobus scholiis sese excipientibus 857,30-858,7 et 858, 9-20 non inepte compositus est, angustis huius libelli finibus prohibemur.

Iam ut ad reliqua progrediar, post paronyma, quae vocabulorum in -ωνυμον desinentium[71]) agmen claudunt, reliquae species plane eodem ordine eisdemque verbis, quibus Dionysius p. 637 utitur, explicatae sunt; digna autem, quae in brevi epitomae argumento quod promisi commemorentur, haec sunt: Post *interrogativi* (πευστικὰ ἐρωτηματικὰ) explicationem dissertatio inserta est: ἀπορία διὰ ποίαν αἰτίαν ἐξ ὀνόματος καὶ ἐπιρρήματος μόνον πευστικὰ γίγνεται: descripta ea quidem ad verbum fere ex Apollonii prooemio p. 18,22—22,4 cuius priorem partem a grammaticis saepius repetitam esse supra ostendimus.

---

[71]) ὁμώνυμα συνώνυμα φερώνυμα ἐπώνυμα διώνυμα πολυώνυμα ἑτερώνυμα παρώνυμα. ἑτερώνυμα a Dionysio omissa huiusmodi sunt: ἀνάβασις-κατάβασις. sed notionem latius patere constat: ἔτι ἑτερώνυμον λέγεται — inquit epitoma — ὧν τό τε ὄνομα ἕτερον καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος, διάφορα ἐχόντων τὰ ὑποκείμενα.

Neque alienum est videre, quantopere haec quoque de interrogativis disputatio grammaticorum animos adverterit: quam et Theodosius copiose ut solet explicavit et Priscianus in linguam latinam convertit et Maximus Planudes[72]) cum praecedentibus capitibus ex Apollonio sumptis conexuit.

Περιεκτικόν ἐστι τὸ ἐν μιᾷ φωνῇ δηλοῦν τὸ περιέχον καὶ τὸ περιεχόμενον· διαφέρει δὲ τοῦ περιληπτικοῦ ὅτι τὸ μὲν φωνῇ μόνῃ ἐστὶν ἐμφαντικὸν πλήθους· τὸ δὲ περιεκτικὸν ἄλλο δηλοῖ τὸ περιέχον καὶ ἄλλο τὸ περιεχόμενον, ὡς δαφνών. (epit. fol. 95ʳ).	schol. Dion. 876, 33: . . . . τό τε περιεκτικὸν καὶ τὸ περιληπτικόν. καὶ ἔστιν ἡ διαφορὰ αὕτη, ὅτι τὸ μὲν [περιεκτικὸν] οὐκ ἄλλο δηλοῖ τὸ περιλαμβάνον καὶ ἄλλο τὸ περιλαμβανόμενον ἀλλὰ φωνὴ μόνον ἐστὶν ἐμφαντικὴ πλήθους, τὸ δὲ περιεκτικὸν ἄλλο σημαίνει κ. τ. λ.

Locos simillimos ideo apposui, quo facilius appareret, vocabulum περιεκτικὸν quod nescio an imperiti librarii culpa irrepserit eiciendum potius esse quam, quod Steinthalio visum est, p. 626 not. cum περιληπτικὸν voce commutandum. sed haec levicula sunt.

Πεποιημένου species quae sequitur aliquot exemplis aucta est: ῥοῖζος ὁ τοῦ πυρὸς ἀλλὰ καὶ ὁ συριγμός· ἄραβος ὁ τῶν ἁρμάτων· δοῦπος ὁ τῆς ἀσπίδος καὶ τοῦ θώρακος· κλαγγὴ ἡ τῶν γεράνων βοή· κάρκαιρος ἦχος ποδῶν τῶν τρεχόντων ἵππων· βόμμος (?) καὶ τὰ τοιαῦτα· ὥσπερ καὶ μυγμοὶ οἱ διὰ τῶν μυκτήρων ἦχοι, σιγμοὶ οἱ ἐξ ἄκρας ὑπερῴας συριγμοί· ὡς τοῦ ζ ξ ψ σ. ac summum studium in eiusmodi verbis colligendis grammaticos collocavisse variis tabulis demonstratur, in quibus animantium voces collectae extant.

In extrema capitis parte itemque insequenti capite septem derivatorum species ac τύποι quos vocant explicantur[73]). sed longum est singulas definitiones, quae plerumque Dionysii scholiis simillimae sunt, deinceps perlustrare. ac de paronymis iam satis dictum est, verbalium vero explicationem brevissimam ideo exhibeo, quod similis scholiorum locus percommode inde suppleri potest.

fol. 96ʳ. Ῥηματικὸν δὲ τὸ ἀπὸ ῥήματος παρηγμένον ἐνέργειαν ἢ πάθος δηλοῦν. πᾶν δ' ὄνομα ῥηματικὸν τὰ τελευταῖα τοῦ ῥήματος φυλάττει σύμφωνα· ὡς ἀπὸ τοῦ πεποίηται ποιητὴς καὶ τοῦ πεποιημένου ποίημα.	schol. 858, 24: πᾶν δὲ ῥηματικὸν ὄνομα διὰ τοῦ $\bar{μ}$ λεγόμενον οἰκειοῦται πρώτῃ παθητικῷ (? fort. παθητικοῦ) κατὰ τὸ σύμφωνον, διὰ δὲ τοῦ $\bar{τ}$ τῆς τοῦ τρίτου (?). οἷον πέπραγμαι — πρᾶγμα — πολυπράγμων, πεποίημαι — [ποίημα], πεποίηται (πεποίησαι Bekk.) — ποιητής . . .

[72]) praetermissus ille a Steinthalio p. 599 not. qui legentium commodo inserviens totum Apollonii locum typis mandavit. cf. ib. p. 615. [73]) sunt autem: patronymica possessiva comparativa superlativa deminutiva nominalia verbalia.

Iam vero libri alterius plus dimidia parte diligenter examinata de totius epitomae indole a viris doctis facilius iudicari poterit; nam in ipsa nominum doctrina quam absolvi grammaticae cardo vertitur, cum praesertim observationes de reliquis orationis partibus magna quadam festinatione et parum accurate adiectae sint. Deinde, quod summum est in illustrando libello, cuius nec de auctore nec de aetate satis constat, iam accuratius necessitudinem cognoscere licet, qua cum similibus recentioris aetatis scriptis epitoma coniuncta sit: quae scripta si omnia diligenter inter se collata erunt, futuro Dionysii editori apparatus criticus subministrabitur, quo praeter novam codicum recensionem facile summo cum fructu usurus sit. Nam vel paucis scholiorum emendationibus, quas epitomae copiis adiutus supra temptavi, satis demonstratum esse puto, *in his recentioris aetatis libellis vestigia uberiorum hypomnematum passim deprehendi,* unde scholia quibus nos utimur in brevius contracta esse scimus.

de reliquis capitibus. Reliqua capita — quae brevissime attingam — eodem ordine sese excipere, quo Dionysii grammatica conscripta est, ipsa quam praemisi argumentorum tabula apparet: sed insertae sunt complures observationes, quas ex vastis grammaticae eruditionis horreis nunc deperditis a recentioribus scriptoribus depromptas esse identidem observavimus: quo referenda est copiosa disputatio capiti quinto inserta, qua de comparativi et superlativi forma ac constructione agitur: quippe quae paucis mutatis inveniatur cum in Philemonis (p. 131-141) itemque Phavorini (fol. 482 ed. Rom.) lexicis tum in Maximi Planudis de gramm. dialogo Bachm. II 73,5—79,3: eandem in codice Barocciano, cuius copiarum partem Cramerus cum viris doctis communicavit, integram extare in prooemio (p. 12) probabiliter demonstravimus. Qua occasione oblata reliquos locos, qui et in epitoma et apud Maximum Planudem inveniuntur, coniunctos apponere liceat:

cap. VI.	dissertatio de compositis similis Maximi de gramm. dialogo	p. 53,21—54,19.
capp. VIII et IX.	de personis, de impersonalibus	— ib. 43,27-49,30.
cap. IX.	de tempore praesenti	— 6, 3,19 ss. coll. 5,36 ss.
	de augmento	— 13,17—15,22.
	de generibus verbi	— 7,30—12,17.

His detractis quae supersunt ad Dionysii grammaticae scholiorumque similitudinem proxime accedunt: nam series typorum sive terminationum, quibus derivatorum species inter se differunt, — quae capite quinto constituitur — extat in Dion. gramm. 634, 30 ss.: nec caput sextum, quo περὶ σχημάτων — de simplicibus et compositis — agitur, distat a scholio 859, 24 et a Porphyrii commentario de prosodiis conscripto, cui 699,13 ss. disputatio de verborum compositione inserta est.

Quod vero epitomae auctorem nominum doctrina absoluta ad finem prope-

rare diximus, id vel maxime in eo cernitur, quod in ipso capite septimo medio a nominibus ad verborum modos (ἐγκλίσεις) genera (διαθέσεις) personas (πρόσωπα) transsilit, omissis eis verbi parepomenis quae huic cum nomine communia sunt: speciebus schematis numeris. Neque in his aut in temporum doctrina (c. IX) aut in coniugationibus (c. X) quidquam extat, quin in scholiis Dionysianis copiosius tractatum sit. Denique capite undecimo singularum orationis partium parepomenis quae vocantur sub unum conspectum redactis reliquarum praeter nomen et verbum definitiones adiectae sunt, quales extant in Dionysii grammatica §§. 18—25.

Druck von Franz Krüger in Berlin.